B. N. C
FIRENZE
1163
2

1163. 2

De Statu per Papas
Imperio atq Pontificatu
[illegible] 0818

De Amato per rapas B
Imperio del Pontificato

De
Attrito per PAPAS
IMPERIO;
Deq;

PONTIFICATU,

Ab
IMP. CÆSARE
Eccleſiæ Reique Publicæ cauſâ
capeſſendo;
DISSERTATIONES.
Auctore
W. CHR. KRIEGSMANNO.

1163
2

De

Attrito per PAPAS
IMPERIO ROMANO-GERMANICO,
DISSERTATIO.

I.

INquirere in cauſas multi hodiè ſolent, quei fiat, quòd, cùm Res in viciniâ publicæ de humili indies in ſublimius ſurgant, Romani contrà Imperii in Germania faſtigium, excelsâ Potentiâ olim conſpicuum, quotidiè magis magisque ſubſidat; ruinam ſui, nî tempeſtivè præfulciatur, haud obſcurè minitans. Diſcordiam, quâ maximæ res dilabuntur, ingens hoc regnum, ut plura alia, contriviſſe omnes fatentur: at undè peſtis iſta in illud graſſetur, non æquè omnes videntur intelligere.

2. Solenne plurimis hîc eſt incuſare diverſitatem Religionum: quaſi animis quâ cultum DEI in partes ſciſſis, impoſſibile ſit, in ſocietatem civilem, cultu divino quàm maximè nixam, pacatè conſpirare. Inprimis in ſuſpicionem cauſati tanti mali adducitur Evangelium, ſuperiori ſeculo per DEI gratiam in Germaniâ cum clarore renatum, ciſpulſis humanarum traditionum tenebris: eoque cùm ad exquirendam morboſo Germaniæ Statui medelam ventum eſt, conſulitur ab aliquibus, protritâ Religionis Pace Evangelicos aut publicâ vi ad ejuranda Evangelii dogmata cogendos, aut, ut compendium rei fiat, Imperio prorſum ejiciendos eſſe: Quam in rem quoque nulla non bella, nullas non cædes machinatur ſanguinariorum quorundam Zelotarum irreligioſa crudelitas.

3. Alii qui præcordia magis mollia, animumque à Deomachia iſthac ac ſceleſto Pacifragio abhorrentem præ ſe ferunt, confugiunt hîc ad Syncretiſmū inter diſſidentes in Imperio Religiones publicâ autoritate pangendum: cenſentes rem brevi fore ſalvam, ſi abolitis rixoſorum Theologorum diſputationibus, de rigore opinionum utrinque remittatur, ad ineundam Concordiam Eccleſiaſticam, quâ omnes fratres Chriſtiani haberemur, neutrâ parte alteram ceu hæreticam ampliùs traducente, aut anathematis fulmine percutiente. Sacram hanc Pacem ſic baſin fore civilis Concordiæ, quæ rem Romanam priſtino vigori mox ſit reſtitutura.

4. Sed quàm omnes ij quidem hoc in negotio errent, fucumque ſibi aliisque faciant, non Imperio decumbenti medicinam, luce apparebit meridianâ clariùs, rem paulò penitius introſpecturo. Enimverò ſacrum JESU CHRISTI Evangelium de ſalute, damnato ob peccata humano generi, citra ullum ejus meritum, gratîs ex gratia DEI, per vulnera CHRISTI procuratâ; miniſterioque SPIRITUS SANCTI in Verbo ac Sacramentis oblatâ; ac vera cordis fiduciâ ſ. fide ab hominibus illuminanti DEO non planè refractariis, apprehensâ; Evangelium inquam, tantum abeſt ut ſtatui Reipublicæ quieto, ex ſe quicquam officiat, ut potiùs Politicum in orbe regimen conſolidet; fidelibus cultum Magiſtratus etiam iniquioris, etiam hæretici, ex legis divinæ præcepto commendando ac quaſi ingenerando; adeò ut Evangelio addicti, ſuper obſequio, poteſtati ſublimiori debito, cum aliis, qui nos iniquis modis traducunt, de primatu concertare & velimus & poſſimus.

5. Unde non ejici ex Imperio, aut ferro exſcindi, ſed retineri, ſoveri atque augeri meremur: nemini quippe inimici; nec Imperatori Cæſari, quem Sacratiſſimum orbis Chriſtiani caput agnoſcimus ac veneramur; nec Imperio, quod à DEO inſtitutum ad finem mundi duraturum ſcimus; nec Principibus Statibusque, quos prono ſinceri cordis affectu colimus: pro omnium incolumitate, fortunis, æternaque ſalute quotidiè deprecantes; de adverſariorum ac ſeductorum ſeriâ ad Evangelium CHRISTI converſione, ad extremum vitæ halitum benè ſperantes; de cætero, morigeros nos publicis Imperii legibus Conſtitutisque præbentes; nec niſi enormiter laceſſiti, priores bello impetiti, ac bonis, dignitate, vitâque ipsâ per vim exuti vel exuendi, arma pro libertate corripientes. Ut ita per nos Evangeliumque cuivis in Imperio, quieto vivere, rebusque ſuis pacatè uti frui liceat.

6. Nefarium autem Syncretiſmum, doloſam Diaboli larvam, ex animo jure deteſtamur: qui ab hypocriſi procul, ſalvificam Evangelii veritatem vel quicquam inflecti aut infringi nolumus; ſartam tectam cuſtodituri eam doctrinam, quam Dominus noſter JESUS CHRISTUS in noſtrùm ſalutem de cœli ſede protulit. Ad quam univerſam ſinceriter amplectendam qui

nobiſcum

nobiſcum condeſcendere velit, orthodoxus nobis habebitur, recipiendus in Eccleſiæ noſtræ ſacrum fœdus; non qui albo nigrum admiſcere, tenebrasque cum luce in maſſam Chaoticam cogere, ac verum falſo coinquinare ſtuduerit.

7. Sanè tetrum Sycretiſmi ſpectrum, orbi cum horrore intuendum reliquit impoſtor mundi Mohammed: qui prætextu Pacis inter Arabes diverſarum Religionum ſanciendæ Eccleſiaſticam concordiam fabricavit, confundens dogmata Chriſtiana, Judaica, Pagana; unde enatum pòſt informe Turciſmi monſtrum: Cui ne gemellum in Chriſtiano orbe naſcatur, novis Syncretizantium auſpiciis, omnium piorum cautio eſſe debet.

8. Sed nec credendum eſt, ruinam Rei Romanæ à modernâ diſcrepantiâ Religionum ſic dependere, ut ſive excidio Evangelicorum, ſivè illuſoriâ omnium conciliatione præcaveri aut reſarciri queat: Cùm in propatulo ſit, diu ante exortum in Germaniâ Evangelium ac ſubſecuta ſchiſmata, cùm præter Romanam Papalem nulla in Europâ religio publicè vigeret, Imperium Sacrum nutare adque interitum vergere cœpiſſe. Id enim ignorare nos non ſinunt hiſtoriæ ſuperiorum ſeculorum, quæ tot bella, tot ſeditiones, tot inteſtina diſſidia, commemorant, quibus laceratum Imperium exteris in ſpolium ceſſit. Aliunde igitur, quàm ab exortu Evangelii, ac diſſidio Religionum, repetendæ regni Romano-Germanici ægritudines, ac quæ eò facere debent medelæ. Sed undenam, inquis? Id verò ipſum eſt, quod Eccleſiæ ac Reipublicæ causâ pluribus exponendum nobis hâc vice ſumpſimus.

9. Qui priſci ævi monumenta, resque inde à ſeculo octavo ac temporibus Caroli M. Imperatorum Romano-Germanicorum primi geſtas cum curâ inſpexerit, deprehendet credo ubivis, maximas calamitates ac pleraque damna, quibus Romanum in occidente Imperium afflictum, ac tantum non confectum fuit, a ſede ipſi Papali accidiſſe. Diu ſcilicet eſt, quod ſedes iſta Cæſareo in Germania throno ſublimitatem invidens, graviſſimas turbas dedit, hanc unam maximè ob cauſam quod in Imperiale ſolium neſcio quam poteſtatem dominii ſupremi ſibi arrogare conſuevit Papalis faſtus; Cæſaribus ac Proceribus Imperii validè reclamantibus, atque exadvorſum jura ſibi in Papas ſedemque Romanam competentia urgentibus. Hinc capitales inimicitiæ, bella, turbæ, ſtrages; hinc Reipublicæ mutationes, Anti-Cæſares, exterorum irruptiones & id genus ſexcenta mala..

10. Vera nimirum Imperii atque Imperatorum in Germaniâ Romanorum gloria olim fuit & adhuc eſt, quòd in ſummo rerum humanarum faſtigio conſtituti, ſupremum in his terris magiſtratum gerant, ſoli DEO, cujus primarias in orbe Chriſtiano vices agunt, ſubjecti: Regibus, Principibus, Dominis, ipſis etiam Papis Romanis ſupereminentiores, nemini quâ Imperium Vaſallagio

gio adſtricti; curandæ,tutandæ, ordinandæque Eccleſiæ præfecti; Conciliorum Præſides,Epiſcoporum Inſtitutores, ipſique extra Eccleſiam conſtituti à DEO Epiſcopi, ac Pontifices Maximi: Atque ut Imperialis Conſtitutio, Anno 1338. ab Electoribus Statibusque Imperii, tam Eccleſiaſticis,quàm ſecularibus ſancita, pronunciat: Das Heil. Römiſch Reich/ die höchſte Obrigkeit in der Welt/iſt von niemands her dann von GOtt/iſt keines Menſchen auff Erden Lehen: Item: Der Käyſer hat keinen Obern auff der Welt/iſt der nechſte nach Gott/hat ſeinen Gewalt ohn alle Mittel von GOtt/ hat keinen Gleichen noch Obern auff Erden/ iſt der Allerhöchſte/durch den GOtt der Welt alle Recht/ Geſatz/Ordnung/und Reich der Welt den Menſchen gibt. Von ſolches wegen/ als ein Fürſt von den ſieben Chur-Fürſten erwählet wird/ ſo hat Er von Stund an vollen Gewalt/ darff nirgend hin und wieder zum Papſt/ noch anderſtwohin ſchicken/darf deß Papſts Beſtättigung nicht/der Papſt hat mit ſolchen Sachen gar nichts zu ſchaffen/ ſein Krönung iſt nur ein Wolſtand / und dienet in dem als ein Knecht und eygener Mann ſeinem Herrn: Dann auß der Wahl hat ein Käyſer und König allen ſeinen Gewalt: Wie ſolches gantz die Warheit iſt/und deß einhellig ſind alle Gelehrte und Erfahrne der Hiſtorien/beyde geiſtlicher und weltlicher Rechtē/auch der heiligen Schrifft/2c.

11. Hæc verò nullo non tempore malè habuerunt inflatum Paparum animum,unde factum,ut impudentiſſimè contradicerent,jactantes: Se Pontifices eſſe Maximos; ſibi unis ſummum in orbe Imperium à Chriſto, cujus Vicarii in terris exiſtant, datum; ab ipſorum nutu res & Eccleſiaſticas & ſeculares dependere; Romanum Imperium ipſorum poteſtati feudi nomine ſubjacere, quod cui velint,conferre, cui collatum nolint, adimere poſſint; in Imperatores Imperium Papam habere, atque jus eligendi, confirmandi, agnoſcendi, reprobandi,abjiciendi, coercendi,puniendi; Electionem Principum Imperii à Papa proficiſci, ipſo renuente nullam eſſe: ac quæ alia ſunt & fuerunt Romanæ ſedis nefanda dogmata, quæ in Jure Canonico, actisque Publicis,& ſcriptis Hiſtoricorum utramque faciunt paginam.

12. Atque hoc ſibi volunt notiſſimi dictatus,ſceleſtaque Bulla adverſus Henricum IV. Gregorii VII. quibus inter alia aſſeritur: Quod Papa ſolus poſſit novas leges condere,uti Imperialibus inſignibus, imò Imperatores deponere, & ſubditos à fidelitate abſolvere, in terra imperia,regna,principatus,

& quic-

& quicquid habere mortales poſſunt,auferre & dare &c. Item Clementina: Paſtoralis de ſent: & re judic: in quâ Papa jura ſuperioritatis ſucceſſionisq; in Imperio, cum poteſtate caſſandi Imperatorias ſententias ſibi ſumit, Nos,inquiens, tam ex ſuperioritate quam ad Imperium non eſt dubium nos habere, quàm ex poteſtate, in quá vacante Imperio Imperatori ſuccedimus, & nihilominus ex illius plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus Rex regum & Dominus Dominantium nobis licet immeritis, in perſona B. Petri conceſſit, ſententiam (Henrici IV. Imp. adverſus Robertum Siciliæ Regem) & proceſſus omnes prædictos & quicquid ex eis ſecutum eſt, vel occaſione ipſorum, de fratrum noſtrorum conſilio, declaramus fuiſſe ac eſſe omninò irritos & inanes.

13. Huc pertinet decretum Innocentii III. c. Venerabilem. 34. de elect: quô traditur, jus eligendi Imperatorem Principibus Electoribus à Papali ſede indultum, hâc conditione, ut ad Papam ſemper pertineat, electum, ut præmiſſa ſummaria ſonant, examinare, approbare & inungere, conſecrare, coronare ſi eſt dignus, vel rejicere ſi eſt indignus, ut quia ſacrilegus, excommunicatus, tyrannus, fatuus, & hæreticus, paganus, perjurus, vel Eccleſiæ perſecutor: Et Electoribus nolentibus eligere, Papa ſuppleat: & data paritate vocum eligentium, nec accedente majori concordiâ, Papa poſſit gratificari cui vult &c. Verba ipſa decreti inter cætera hæc ſunt: ad eos (Principes Electores) jus & poteſtas hujuſmodi (eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodùm promovendum) ab Apoſtolicâ ſede pervenit, quæ Romanum Imperium in perſona magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent, quòd jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promovendam ad Imperium ad nos ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus & coronamus &c. Eandem poteſtatem Imperatores approbandi, ſed & jus exigendi ab iis juramentum fidelitatis, Papis tribuit Clementin: de jure jurand: dicens: Romani Principes orthodoxæ fidei profeſſores S. Romanam Eccleſiam, cujus caput eſt Chriſtus Redemtor noſter, ac Romanum Pontificem ejusdem Redemptoris Vicarium fervore fidei & claræ devotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici à quo approbationem Perſonæ ad Imperialis Celſitudinis apicem aſſumendæ, nec non unctionem, conſecrationem, & Imperii coronam accipiunt, ſua ſubmittere capita non reputarunt indignum, ſeque illi eidem Eccleſiæ quæ à Græcis Imperium tranſtulit in Germanos, & à quâ ad certos eorum Principes jus & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodùm promovendum provenit, adſtringere vinculo juramenti. Ac pôſt: Nos præmiſſis & aliis rationibus, nequis in Romanum aſſumptus Principem vel inpoſterum aſſumendus, an juramenta hujuſmodi fidelitatis exiſtant, in dubitationem deducere audeat, vel ſuper his contrarium aſſerere veritati, auctoritate Apoſtolicâ de fratrum noſtrorum

conſilio

conſilio declaramus, illa juramenta prædicta fidelitatis exiſtere & cenſeri debere.

14. His addatur virulenta Bulla Pauli IV. Cùm ex Apoſtolatûs recepta in ſeptimum Decretalium; in quâ, ne quid monſtroſæ Paparum omnipotentiæ deſit, adſcribitur ipſis jus ac fas deponendi, necique adjudicandi quemcunque Magiſtratum, ipſum quoque Romanorum Imperatorem, ob commiſſum ſchiſma aut diſſenſionem à fidei Papiſticæ articulis, his verbis: Nos hâc noſtrâ in perpetuum valiturâ Conſtitutione, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſancimus, ſtatuimus, decernimus & diffinimus, quod omnes & ſinguli Epiſcopi, ArchiEpiſcopi, Patriarchæ, Primates, Cardinales, Legati; Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges & Imperatores, qui hactenus, ut præfertur, deviaſſe, aut in hæreſin incidiſſe, ſeu ſchiſma incurriſſe, excitaſſe vel commiſiſſe deprehenſi, aut confeſſi, vel convicti fuerint, & inpoſterum deviabunt, aut in hæreſin incident, ſeu ſchiſma incurrent, vel excitabunt aut committent, & deviaſſe ſeu in hæreſin incidiſſe, vel ſchiſma incurriſſe aut excitaſſe ſeu commiſiſſe deprehendentur, aut confitebuntur ſeu convincentur, ſint eo ipſo, absque aliquo Juris aut facti miniſterio, ſuis Ordinibus & Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Patriarchalibus, & Primatialibus Eccleſiis, ac Cardinalatûs honore & cujusvis legationis munere &c. Comitatibus quoque Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis & Imperio penitus & in totum perpetuò privati, & ad illa de cætero inhabiles & incapaces &c. Quin imò ſecularis relinquantur arbitrio poteſtatis animadverſione debitâ puniendi: niſi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ indiciis & condignæ pœnitentiæ fructibus, ex ipſius Sedis benignitate & clementia in aliquo monaſterio, aut alio regulari loco, ad peragendam perpetuam in pane doloris & aqua mœſtitiæ pœnitentiam retrudendi fuerint. Quodque pro talibus ab omnibus cujuscunque Statûs haberi, tractari, & reputari, & ut tales evitari, omnique humanitatis ſolatio deſtitui debeant &c. & inſuper laici qualificati & dignitatibus prædictis præditi quibuscunque regnis, ducatibus, dominiis, feudis & bonis temporalibus per eos poſſeſſis privati exiſtant eo ipſo: Regnaque ducatus, dominia, feuda & bona hujuſmodi publicentur & publicata ſint, efficianturque juris & proprietatis eorum qui illa primò occupaverint, ſi in ſinceritate fidei & unitate ſanctæ Rom: Eccleſiæ, ac ſub noſtra & ſucceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum obedientia fuerínt.

15. En originem potiſſimarum in Imperio turbarum: intolerabilem ſcilicet Paparum faſtum, quô Imperatoriam Majeſtatem opprimere anniſi ſunt, quem magnanimi Cæſares ac Principes ferre nec potuerunt, nec voluerunt, nec debuerunt: ipſis Imperii legibus efflagitantibus, ut omni opera ei obviam eatur, bannoque ac gladio publico animadvertatur in præfractos Papalis in

Imperium

Imperium Imperatoremve poteſtatis aſſertores: ceu ſtatuit citata nobis Conſtitutio de Anno 1338. ſubjungens iis quæ ſuperiùs adducta, hæc: Noch ſind Leut/die ſich ihres Glücks übernehmē/auß lautrem Stoltz und Geitz anderſt dürffen ſagen und fürgeben / nicht ohne groſſen Schaden der gantzen Chriſtenheit / darauß Krieg und groß Blutvergieſſen entſpringt / die Stände deß H. Reichs / Fürſten / Chur-Fürſten / jederman beſchwert / der Gerechtigkeit beraubt werden: Darumb / damit ein jeder bey dem Seinen bleib / niemand unrecht geſchehe / gut Fried und Einigkeit im gantzen Reich erhalten werd: Wer anders (dann oben von allen Ständen mit Recht erkant iſt /) lehret / ſagt / thut / ſoll in Ungnaden deß H. Römiſchen Chriſtlichen Reichs / und deß Käyſers Acht und Aberacht gefallen ſeyn / all ſein Gut / Leib und Leben verwirckt haben.

16. Papæ igitur dominatûs ſui ſtudioſiſſimi, dum Imperatores Statusque Romano-Germanicos ſibi cernerent adverſarios, omnem moverunt lapidem, ut ſive bellis exterorum, ſive inteſtinis motibus Imperium divexaretur, quò ſic attritum tyrannidi Papali cederet, quod integrum nollet. Quod ut quàm verum ſit cognoſcatur, operæ pretium erit, machinationes Paparum adverſus Imperatores, horumque cum iis certamina inde ab origine usque regni Romano-Germanici hiſtoricâ fide repetere: quò ad oculum ita pateat, per nequitiam Paparum non licuiſſe Cæſaribus augendo ornandoque Imperio incumbere; quin volentes eos nolentes ad continuò belligerandum, ac ſæviendum in propria viſcera pertractos, diminutis Imperii viribus ex voto ſuccurrere nequiviſſe. Telam autem hanc in Carolo M. cœptam, pertexemus ad Maximilianum Primum.

17. Caroli M. tempora malitiæ Papalis ſic ſatis expertia fuêre. Etſi enim Papæ jamdudum à modeſtia Epiſcopali ad ſuperbiam planè Anti-Chriſtianam defecerant, potentia tamen tanti Imperatoris iis obfuit, quominus quæ ſecum agitabant apertè tentarent: Tempori igitur ſervientes, Cæſarem, inviti, regnare ſinebant.

Edita eſt una Epiſtolarum decem Leonis III. ad Imper. Carolum è membranis Academiæ Juliæ, quæ de humili Papæ coram Imperatore ſchemate abundè teſtatur. Ne minimum in eâ deſpoticæ in Cæſarem poteſtatis indicium; ſed omnia ad modeſtiam compoſita: Ita enim Epiſtolæ habet initium:

Domino piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, filio amatori Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti Carolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſ[illegible]ſervorum Dei:

AD hoc omnipotens & inviſibilis DEUS noſter, veſtram à DEO protectam Imperialem potentiam, ſanctæ ſuæ Eccleſiæ fecit eſſe cuſtodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ veſtræ vigilantior exiſteret, & quos conſilio exterius regitis, perire interius non permittatis &c. Sequitur mox: Dum enim in hominibus poſt DEUM & Sanctos ſuos non niſi in veſtram Imperialem Potentiam fiduciam habemus, juſtum proſpeximus ut & gaudium noſtrum & anguſtias, quæ aſſiduè patimur veſtris piis intimaremus auribus &c. Item: Miſit igitur Pia Serenitas Veſtra miſſos ſuos ut juſtitiam nobis facere debuiſſent &c. Tandem definit in voto: Piiſſimi Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubjiciat.

18. Carolus itaque M. à Papis imperturbatus regnans, non Remp. modò, ſed & Eccleſiam ordinavit, Conciliisque præſidium, ac confirmationem indulſit, ut Francofurtenſi, Arelatenſi 4. aliisque per Galliam tunc habitis. Extat ap. Goldaſtum 2. Theil: Reichs-Satzungen edictum, quô de his & illis Articulis fidei cum curâ docendis præcipit anno 789. E decreto quoque Hadriani I. ap. eundem Goldaſtum 1. Theil: Reichs-Satz: de anno 774. liquet, ipſi jus fuiſſe Pontifices conſtituere, nedum Epiſcopos Archi-Epiſcopos &c. Sic enim habet: Im Jahr nach Chriſti Geburt 774. hat König Karle zu Rom einen Synod gehalten mit dem heiligen Papſt Hadriano in der Patriarchey zu Lateran / das iſt in der Kirchen S. Salvatoris / welchem beygewohnet andere Gottesfürchtige heilige Männer / Biſchöffe / Aept / und Prælaten deren bey 153. waren / auch weltliche Herrn Richter und Rechtsgelährte von allen Landen und Ständen dieſer Hauptſtadt / ꝛc. Derhalben hat das Römiſche Volck nach ihrem Gebrauch ein Geſetz aufgericht. Dann weil es dem gantzen Volck beſchwerlich war / umb jeglich Sach willen ſo offt zuſammen zukommen / alſo hat es ihr Recht und Gewalt einem Käyſer übergeben / wie dann in den Käyſerlichen Rechten geleſen wird: Das Römiſch Volck hat ihme gegeben / und auff ihn gelegt all ihr Recht und all ihr Gewalt. Nach welchem Exempel und

Vorſpiel

Vorſpiel hat auch berührter Papſt Hadrianus mit Gehell der gantzen Römiſchen Cleriſey und deß gantzen Römiſchen Volcks und deß allgemeinen heiligen Concilij dem Käyſer all ſein Recht und ſein Gewalt gegeben einen Römiſchen Papſt zu kieſen/und daß Er ordne den Apoſtoliſchen Sitz und die Würde der Herrſchung: aber das auch erkannt daß die Ertz-Biſchöff und Biſchöff in allen Provintzen ſollent vom Käyſer die Inveſtitur empfahen. Darnach aber mögen ſie die Weyhung empfahen/von dem es ſich gebührt/ꝛc. Und ſolches zu mehrer Krafft und Sicherung hat Er mit einhelligem Urthel erkännt und geſetzt/ daß alle die dem H. Synod widerſpenſtig ſeyn würden/darwider thun/oder dieſem gantzen Decret und Erkantniß/wie es obgeſetzt/ ſich widerſetzen/ die ſollen wiſſen/ daß ſie gefallen ſeynd in den Zorn deß Fürſten deß Apoſtel S. Petri/ und in aller Heiligen und in unſrer Vorfahren in dem Apoſtoliſchen Stul/und daß ſie in den Banden deß Verfluchs ewiglich ſollen in Verdamniß leben/ und auch in den Bann der allgemeinen Chriſtlichen Kirchen/ und der gantzen Chriſtlichen Gemein gethan ſeyn. Und wo ſie ſich nicht beſſerten/und von ihrem böſen Verhaben abſtehen würden/ daß ſie ſollen in unwiderrufflichem Elend verwieſen/und vom Leben zum Tod verurtheilet/und ihre Güter der Oberkeit heimgefallen ſeyn/ꝛc.

19. Porrò Papalis dominatus, qui ſub Carolo M. invalidus jacebat, ſub Ludovico Pio ipſius filio tetrum caput ſenſim extollere cœpit. Initiò quidem Ludovicus jure ſuo in conſtituendis Papis habendisque Conciliis &c. utebatur, adeò ut Gregorii IV. electi Papæ conſecratio dilata ad conſultum Imperatoris, eo v. annuente & electionem Cleri & Populi probante Papa ordinatus ſit, Synodique ac Concilia Moguntina aliaque à Cæſare confirmationem petierint & acceperint: At mox cùm filii adverſus eum exſurgerent, nequitiam Papalem ſenſit: Is ipſe namque Gregorius quem Papam aſſumpſerat, in Galliam veniens, ut Sigebertus Gemblacenſis ad Annum C. 832. ſcribit, contra Imperatorem cum filiis agebat; excommunicaturus Cæſarem cum iis qui ipſi contra filios Papamque adeſſent, referente auctore vitæ ejus. Primus hic Paparum in Imperatoriam dignitatem conatus majores mox vires ſumpſit, cùm rebelles Ludovici filii poſt parentis exceſſum mutuis bellis ſe conficerent: decreſcente enim ſic ac multipliciter diviſo Francorum regno, ec-

 clesia

cleſia profecit, Nicolao ſummum ſacerdotium gerente, tantæque auctoritatis facta eſt, ut etiam Reges judicaret; ut ait Otto Friſingenſ. lib. VI.

20. E damno igitur Imperii Papalis auctoritas incrementa cepit; quæ dehinc ſub Carolo Craſſo adeò aucta eſt, ut Hadrianus III. Imperatoribus Romano-Germanicis viam ad potentiam præcluſurus, decreta ederet, de Papa conſecrando, abſente quanquam Imperatore; deque regno poſt mortem Caroli Italicis Principibus cum titulo Imperii tradendo, ut Sigonius refert lib. 5. Ital: Quò ſic poteſtas in Papas Cæſarea ac Monarchia Romano-Germanica Carolinæ domûs tolleretur, Pontificia contrà exerceret. Decreta hæc Papalia mox effectui data, Regesque Italici in odium Germanorum creati, Guido Arnulphi Imp. Germani Anti Cæſar, Berengarius &c. atque ita Imperium perpetuos in motus conjectum; Papis interim rerum ſuarum gnaviter ſatagentibus.

21. In triſti hoc ſtatu Reſpublica hæſit ad Ottonem usque magnum, Henrici Aucupis fil: Is deinde expeditione in Italiam ſuſceptâ abductoque illinc tyranno Berengario, collapſam Imperii dignitatem reſtauravit: Quod quidem Papali dominatui ſtatim malè ceſſit; Quandoquidem Johannes XII. tùm Papa ob facinora ſede deturbatus, ac Leo VIII. à Cæſare electus eſt; conſtituta Romanis lege, ne poſthâc Pontificem crearent absque Imperatoris conſenſu electorio: Quam cum perjuri transgreſſi eſſent, ac Benedictum V. inconſulto Imperatore elegiſſent, Cæſar armatâ manu hunc expulit ac Johannem XIII. dedit. Legantur his ſuper rebus Scriptores ejus ævi, Anaſtaſius Bibliothecarius, Ado Viennenſis, Rhegino Abbas, Luitprandus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis, aliique.

22. Sequentibus Imperatoribus ad Henricum IV. usque omnes nervi intendendi fuerunt ad jura ſua in ſedem Romanam integra retinenda: Quandoquidem Papæ cum Cardinalibus ac Clero noctes atque dies allaborârunt Imperium debilitare, ſeque a Cæſarum poteſtate eximere: Quod ut præcaverent Imperatores, eos cumprimis ad Papatum promoverunt, quos amicos ſibi reputarent: Otto igitur II. Joannem XIV. Cancellarium antehâc ſuum Papam renunciavit; Otto III. autem oculis Johanni Pſeudo-Papæ effoſſis, Gregorium V. conſanguineum poſtque ejus obitum Sylveſtrum II. Præceptorem ſuum inſtituit: ac de poſteriori quidem id expreſſè fatetur Conſtitut. de Anno 998. Wir haben auß Liebe/ ſo wir zu dem Heil. Apoſtel Peter tragen/ Herrn Sylveſtrum unſern geweſenen Lehrmeiſter und Præceptorem zu einem Papſt erwählet/ und nach dem Willen Gottes zu dieſem erleuchteten Stand gebracht. Initio hujus Conſtitutionis, quod probè notandum, dixerat: Daß zwar Rom ein Haupt der gantzen Welt/

und

und die Römiſch Kirch eine Mutter aller Kirchen ſey / habe aber durch liederliches / leichtfertiges und muthwilliges Thun der Päpſte ſolchen Titul ihrer Klarheit weit und breit verdunckelt: Mox ſubjungit: Als nun obgemeldter Geſtalt gute Biſchoffliche Sitten und Geſetz ſchändlich hindangeſetzt / und die rechte Römiſche Kirch allbereit verworffen und verlohren worden / haben ſich etliche Päpſte ſo gar verwegen gemacht / daß ſie zufielen / und den gröſſten Theil unſers Reichs ihrem Apoſtelampt geeygnet / ſuchend itzt nicht mehr / was und wieviel ſie durch ihre Schuld verlohren / achtend auch nicht wieviel ſie durch ihre muthwillige üppigkeit vergeutet / ſondern haben ihr Eygenthumb / weil es hindurch von ihnen gejagt ward / verlaſſen / ihre Schuld gleichſam auff unſer Reich gelegt / und frembde Güter / das iſt, unſer und unſers Reichs an beſten Orten angefallen. Quæ verba, Paparum ejus temporis adverſus Imperium conatus oſtendunt.

23. Poſt Ottonem III. Henricus II. Conradus II. ac Henricus III. Impp. laudatiſſimi, veſtigiis anteceſſorum inſiſtentes, jura ſua in Papas eligendos ac deponendos non ſine negotio exercuerunt: Inprimis Henricus III. qui tribus Anti-Papis, quos Platina tria teterrima monſtra vocat, depoſitis, quatuor jugi ſucceſſione Germanos ſuffecit, Clementem II. Damaſum II. Leonem IX. ac Victorem II. Romanos denuò adigens ad juramentum de non eligendo absque conſenſu Imperatorio Papâ: videatur Platina & in eum Onuphrius Panvinius; qui diſertè dicit: Quatuor hos Pontifices, viros ſanctiſſimos, optimos, & de DEI Eccleſia benemeritos ex Imper. Henrici III auctoritate creatos.

24. Hactenus itaque ſub cineribus quaſi gliſcens latuit Romani Papatus machinatio adverſus jura Imperii: quæ tametſi correpto ſubinde alimento fumum aut ſcintillas ederet, ſemper tamen à Cæſaribus ſtudioſè reſtincta, ac ut videbatur in exortu ſuffocata fuit. At illa tandem ſub Henrico IV. horrendam in flammam, cum maximâ Imperii univerſi jactura exarſit. Hildebrandus namque Cardinalis necromanticus, bipedum omnium nequiſſimus, pertracto in ſuam ſententiam Clero Romano, Cardinaliumque cœtu, contra Honorium II. à Cæſare datum creavit Papam Alexandrum II. qui eductis copiis Honorium milite quoque ſtipatum aperto prœlio vicit; mox Concilio Mantuæ habito damnavit; unaque electionem Papæ in ſolos Cardinales contulit, poteſtate in eo negotio Imperatoriâ publicè abrogatâ. Hæc in anteceſſum machinatus Hildebrandus ipſum mox Pontificatum invaſit, Spiritu planè Anti Chriſtiano ſe ſupra Imperatorem omniaque & Eccleſiaſtica & ſecularia efferens.

 25 Faci-

25. Facinora ſacri hujus nebulonis omnem ferè exſuperant fidem. Poſtquam is monſtroſos de illimitata poteſtate Papali dictatus edidiſſet; Quòd unicum ſit nomen in mundo, videlicet Papæ; quòd ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis; quòd ſolus poſſit Epiſcopos deponere, novas leges condere, uti Imperialibus inſignibus, imò Imperatores deponere & ſubditos à fidelitate abſolvere; quòd ſolus Papa omnium ſententias retractare poſſit, ipſius autem ſententia à nemine retractari debeat; quòd abſque Pontificis auctoritate nullum Concilium nullum capitulum, nullus liber Canonicus habeatur; quòd ſolius Papæ pedes omnibus Principibus deoſculandi; quòd à nemine judicari debeat ipſe omnium judex; quòd nullo Laico cujuscunque etiam conditionis liceat inveſtituram Eccleſiaſtici muneris conferre &c. ecce inauditâ ferociâ adortus eſt Henricum IV. Imp. verum ac legitimum ſuum Dominum, ac quòd is jura Epiſcopos inveſtiendi ac Papas conſtituendi Romano Imperio competentia cedere renueret, tanquam Simoniacum ac ſacrilegum excommunicatorio fulmine percuſſit, Imperio depoſuit, ſubditosque à jurata fide abſolvit: Unde laudatiſſimo Imperatori Imperioque infinita nata mala.

26. Nec mitigare potuit inflatum Beſtiæ Hildebrandi animum, abjectiſſima Cæſaris humilitas, qui ut Principum odium Eccleſiæque iram amoliretur, ſupplex Canuſij Papæ factus, regio cultu depoſito, intra ſecundum murorum ambitum, ut Sigonius habet libr. 9. ad ann. 76. & 79. ſine calceis, ſæviente hyeme, jejunus, per triduum usque ad veſperam reſponſum Pontificis expectavit, tandem nudis pedibus forfices & ſcopas in manu habens admiſſus, abſolutionem petiit: Electus nihilominus Papæ juſſu in Henrici locum Rudolphus Sveviæ Dux, miſsâ ipſi coronâ hujus inſcriptionis:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Sed huic mox ictus à Gothofredo Bullionio Archiſignifero tum Imperatorio illatus, ac dextra in prœlio amputata, quâ fidem Henrico Domino ſuo datam feſellerat, mortem attulêre, poſtquam Papæ & Epiſcoporum ſeductorum ſui perfidiam ſeriò deteſtatus eſſet.

27. Ut victricia Henrici arma ſufflaminaret Hildebrandus, ingeminavit excommunicationem. Imperator verò id parùm curans, Synodo Moguntiæ primò, deinde Brixiæ coactâ nefarium Hildebrandum Pontificatu dejiciendum, quo pollebat jure, pronunciavit; ſubſtituto Clemente III. quem & paulò pòſt, occupatâ Româ inſtituit, obſidens Hildebrandum in mole Adriani. Lupus hic vitam Cæſari in templo Mariæ majoris oranti, per ſicarium projecto deorſum ſaxo adimere voluit non valuit; diverſas deinde in Germaniâ factiones concivit, auctor exiſtens Saxonibus ut Anti Cæſarem crearent Hermannum Lotharingum quem reliqui per contemptum vocitabant, den

Knob=

Knoblauchs-König: Quin & Normannos ex Apuliâ adverſus Cæſarem evocavit. At DEUS ſucceſſum conatibus his auferens, Imperatorem in Germaniam ſalvum reduxit; unde hoſtes illius ubivis proſtrati; Hermannus quoque Anti-Cæſar; cui muliercula emiſſo lapide cranium perfregit. Normannorum v. Dux Robertus occupatâ ac direptâ Româ Hildebrandum inverſo conſilio Salernum abduxit, ubi ex mœrore animi mortuus eſt.

28. Nec tamen Henrici laborum finis. Gregorio ſucceſſit Victor III. huic Urbanus II. eique Paſchalis II. Hildebrandi complices, qui pari omnes audaciâ partes Imperatoris oppugnabant. Ac Urbanus quidem ipſum Imperatoris filium Conradum Italiæ Pro-Regem adverſus Patrem excitavit; qui quum ad meliorem frugem recipere ſe nollet, Coloniæ in Comitiis exhæredatus, biennio pòſt obiit. Paſchalis verò Henrico iterum excommunicato alterum filium, Henricum, deſignatum Romanorum Regem oppoſuit, abſolvens eundem à juramento, quod Parenti de non offendendo præſtiterat: nec prius deſtitit Papalis malitia, quàm Henricum proditoriâ reconciliatione deceptum, per filium perduellem junctosque ei Epiſcopos ac Principes Imperatoriâ dignitate exueret, tergeminâ excommunicatione repetitâ. Unde glorioſiſſimus Heros ad extremam paupertatem redactus, Leodij tandem exul obijt, ac quinque annos ex Papali mandato inſepultus manſit. Videantur Lambertus Schafnaburg: Abbas Urſperg: Helmoldus, Aventinus, Cranzius, Sigonius, aliique.

29. Ergò jam vaſta moles Papalis dominatus è ruinis Reipublicæ Romano-Germanicæ conſtructa, in ſtupendam magnitudinem excrevit, architecto Hildebrando; qui prominentem Imperatorum dignitatem in Henrico IV. deſtruxit, eamque Paparum poteſtati in poſterum ſubjecit. Unde ſequentibus Cæſaribus continuæ cum Papis eorumque aſſeclis lites, quibus Imperium miſerandum in modum fatigatum penè exſpiravit. Papæ videlicet omnem navabant operam, etiam impiam, etiam turpiſſimam, dominatui ſuo in Imperatores tuendo. Cæſares contrà antiquæ poteſtatis memores, Papale jugum de cervicibus ſuis excutere, Papasque priſtinum in ordinem redigere totis viribus conabantur. Hinc ergò infinita certamina: in quibus tamen Imperatores ferè ſemper ſuccubuerunt; prævalente Romanâ curiâ, quæ mobiles hominum, etiam Principum animos ſpecioſo Religionis Eccleſiæque prætextu, aut objectu auri à Cæſarum partibus abſtraxit. Nimis longum foret, omnia recenſere, quæ Imperatores Henricum IV. ſecuti à Papis paſſi ſunt: nos potiora tantummodò hîc ſtrictim annotabimus.

30. Henrico V. prodeſſe nequivit amicitia Papalis, quæ eum rebellem Patri fecerat, quin difficili bello implicaretur, quòd juribus inveſtituræ, Imperatoribus inde à Carolo M. uſitatis, abſtinere nollet: ac licet Paſchalis Papa ab

eodem

eodem captus, coràm Notario ac teſtibus, juribus his renunciaret, ac defunctum Henricum IV. banno exſolutum ſepeliri permitteret, mox tamen omnia retractavit; unde Cæſari à perjuro hoc ac ſequentibus Papis Gelaſio II. & Calixto II. excommunicato cruenta in Imperio bella gerenda, ac tandem, ſi inquietari ampliùs nollet, depaciſcendum fuit, relicto Papis inveſtituræ iure.

31. Quo animo Papæ fuerint in Imp. Lotharium qui Henrico V. ſucceſſit, patet ex egregiâ picturâ, quâ Cæſarem Papæ pedibus advolutum in Palatio depingi curavit Innocentius, additis bellis his verſiculis:

Rex venit ante fores, jurans ante urbis honores
Poſt homo fit Papæ, ſumit quô dante coronam.

Vides pro homine i. e. vaſallo Papæ habitum, in compenſationem ejus quod jura inveſtituræ ab Henrico relicta repetierat: contumelioſam hanc picturam Fridericus Barbaroſſa pòſt deleri juſſit. Atque is ipſe Fridericus, bone Deus, quid non perpeſſus eſt à Papis! Initiò ſtatim is coronationem petens ab Hadriano IV. quòd ſiniſtram ſtapedem conſcenſuro equum non dextram tenuiſſet, rejectus: Coronatus deinde, quòd in literis nomen Cæſareum Pontificio præponeret, ac in Papas atque Epiſcopos conſtituendos jus ſibi reſumeret, imperiumque beneficio Pontificum acceptum ferre nollet, imò coronam ſe ante depoſiturum diceret, quàm ut de Imperii auctoritate quicquam detrahatur permiſſurum, grave Paparum odium incurrit, adeò ut Siciliæ Rex ac Mediolanenſes rebelles contra ipſum ab Hadriano excitati, atque hoc ex muſcâ extincto, Cæſar anathemate ab Alexandro percuſſus, ab Henrico Saxo ob id deſertus, ac cruento bello cum totius Imperii concuſſione involutus ſit: imo Papæ, filii Ottonis causâ ſupplex factus, impoſitum collo ſuo pedem, cum dicto Pſaltis ſarcaſticè huc detorto, expertus fuerit; inauditâ per omne ævum injuriâ; quam meritò adſtans Otto Marchio Miſniæ, ſtricto in Papam deculcantem enſe, ulciſci molitus eſt. Hæc ac plura alia laudatiſſimo Heroi Friderico Barbaroſſæ Imperioque ſub eodem à Papis acciderunt. Vide inter alios Sigonium libr. 12.

32. Eadem ſucceſſorum ejus ſors fuit. Henricum namque VI. Friderici fil: Papa Cœleſtinus ſic coronavit, ut coronam capiti impoſitam mox pede decuteret, ſignificans in ſuâ poteſtate eſſe dare vel auferre Imperium. Philippum verò alterum Barbaroſſæ filium Imperio arcere, electúmque depellere per Ottonem Anti-Cæſarem conabatur idem Cœleſtinus, ejaculato anathemate, unde funeſta Imperio bella oborta. Nec mitior habitus Otto hic IV. Papæ adverſus Philippum organon: Cùm enim coronatus ille repeteret ea quæ Papa Innocentius Imperio in Italia detraxerat, durantibus inter Philippum

atque

atque Ottonem diſſidiis, gratiâ Papali excidens excommunicationem ſubijt, conſtituto ipſi AntiCæſare Friderico II. Henrici fil: à quo etiam poſt varia bella Imperio pulſus eſt.

33. Fridericus autem ſuper juramento Imperatori ab Italis præſtando, electione item filioli in Romanorum Regem, alijsque rebus Honorio, Gregorio, atque Innocentio colliſus, Papali fulmine ter ictus, innumeris motibus, bellis ac periculis expoſitus fuit; Imperio per Anti-Cæſares Henricum Thuringum ac Wilhelmum Hollandum Papali auctoritate inſtitutos divexato. Ad eundem modum actum cum Conrado Frid: fil: quem Papa Imperatorem nolens, excommunicavit, ac bellicis turbis implicuit; propoſitis contra eum indulgentiis ſtatuens, ut ſi quis contra eum ſignaretur, ſignatus & ſignati pater & mater omnium peccatorum veniam conſequerentur. Conrado ſublato, Imperialis dignitas in Conradinum ejus filium translata fuiſſet, cum commodo Imperij: at obſtitit Papa. Unde Principum animis in partes tractis, auroque corruptis, Alphonſus Hiſpanus, ac Richardus Anglus AntiCæſares creati; ac ſubſecuto interregno ſeptendecim annorum Status Imperii perturbatiſsimus effectus; Conradinus quoque hæreditarius Rex Siciliarum, infando ſcelere, à Carolo Andegavenſi, juſſorio Papæ ſvaſu, publicè ſecuri percuſſus; atque ita inclytum genus Barbaroſſæ non ſine ingenti Imperii Germanici contumelia à ſceleſtis Papis exſtinctum eſt.

34. Dixeris, ſat hactenus turbarum ac damnorum Imperio à Papis datum: At eorum nondum finis. Rudolphum enim Habspurgicum circumvenerunt, ut quietè regnaturus, Vicariatum Imperii Toſcanum, Exarchatum Ravennatem cum Provincia Flaminia Papis concederet. Sub ejus ſucceſſoribus Adolpho Naſſovio atque Alberto Auſtriaco Germania inteſtinis bellis; Italia factionibus Gibellinorum Cæſareanorum ac Guelphorum Papalium ardebant; unde multum incrementi Romana Curia, detrimenti Imperium traxit, Papis pro lubitu dominantibus, Bonifacio inprimis octavo, qui omnia ſacra ac civilia, omnemque adeò creaturam humanam Romano Papæ ſubeſſe voluit: Legatur modò ipſius Extravag: Unam ſanctam, ubi expreſse dicit: Subeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ (quidam Codd: legunt omnem humanam creaturam) declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus omninò eſſe de neceſſitate ſalutis antea dixerat: Uterque eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſc. gladius & materialis: Sed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus; ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Item: Veritate teſtante ſpiritalis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & judicare, ſi bona non fuerit. Sic de Eccleſia & Eccleſiaſtica poteſtate verificatur vaticinium Hieremiæ: Ecce conſtitui te hodiè ſuper gentes & regna &c. Ergò ſi deviat terrena poteſtas, judicabitur à poteſtate

ſpiritali:

ſpiritali: ſed ſi deviat ſpiritalis minor, à ſua ſuperiori: ſi verò ſuprema, à ſolo DEO, non ab homine poterit judicari: teſtante Apoſtolo: Spiritalis homo judicat omnia, ipſe autem à nemine judicatur, &c.

35. Sub Henrico VII. nova inter Cæſarem ac Papam odia naſcebantur, quòd Imperator Genuæ decretum tuliſſet: Imperatorem Romanum Pontifici Romano juramentum præſtare non debere, cùm ſit res inuſitatiſſimi & novi exempli, Principem & Dominum orbis terrarum ſervo ſervorum fidelitatis juramento obſtringi. Hinc Robertus Apuliæ Rex ac Papiſtica factio Guelphorum, præcipuè Florentini adverſus Cæſarem excitati, id tandem egêre ut inclytus Princeps execrando Monachi cujusdam parricidiô, venenato pane Euchariſtico necaretur.

36. Succeſſit Ludovicus Bavarus, magnæ gloriæ Imperator, qui cum Papali tyrannide acerrimè dimicavit, und hat ſich/wiewol mit ſeinem groſſen Schaden dannoch Fürſtlich und Käyſerlich der Päbſte erwehret/ ut alicubi Ulricus ab Hutten loquitur. Johannes XXII. Papa nequam, Imperatorem hunc, ipſo invito Imperium tenentem excommunicaverat: id Cæſar non ferens, habitis Comitiis ac coactâ Synodo Papam malæ frugis depoſuit, deditque Nicolaum V. decernens ex ordinum Imperii ſententiâ, Papæ nullum jus competere in Imperatorem. Extant literæ Ludovici Cæſareæ adverſus Papam Johannem de anno 1327. quibus dicitur: Wir beklagen uns über ihn (den Papſt) am erſten/ daß er in Welſchen- und Deutſchen Landen Krieg/ Zwytracht und Uneinigkeit anricht unter den Chriſten/ hetzt die Fürſten Geiſtlich und Weltlich wider uns und das H. Römiſche Reich: Läßt ſich öffentlich hören/ ſo die Geiſtlichen Fürſten unter ihnen ſelbſt uneins ſeyn/ ſo ſey der Papſt der rechte Papſt und werde geförchtet/ ein jeglicher Fürſt fürchtet ihn dann/ und iſt gehorſam und thut ihm was ihm lieb iſt. Weiter hat er ſich berühmet/ die Uneinigkeit der Teutſchen/ ſey Glück und Erhaltung deß Papſtthumbs/ ꝛc. unterſteht ſich außzurotten das H. Römiſch Reich/ ꝛc. Er hat ſich im offentlichen Recht hören laſſen und trucken herauß geſagt: Ein Papſt ſoll allen Fleiß ankehren/ damit er die küpfferne Schlange/ das iſt der Teutſchen Reich und Gewalt zerbreche und zertrenne. Item: Alle Verſtändige der Geiſtlichen Rechten ſind deß eins/ daß der Papſt nicht beyde Schwerd Geiſtlich und Weltlich habe. Wir haben das Reich und Käyſerl. Gewalt allein von Gott/ darumb daß wir von Gott erwehlet und beſtättiget ſeyn/ bedürffen

wir

wir keiner Menſchen Beſtättigung weiter. Wir wollen und geſtehen auch nicht/daß das H. Römiſche Reich/oder das Käyſerthumb ihm zugehör und von ihm Lehen ſey/ wir ſind auch gar nicht ſchuldig ihm von demſelben/ſondern allein GOtt Rechenſchafft zugeben/ ꝛc. Sic igitur Ludovico huic IV. pro conſervandis Imperii juribus cum Joanne XXII. ejusque ſucceſſoribus Benedicto X. ac Clemente VI. decertandum fuit, donec tandem propinato veneno è medio tolleretur.

37. Eo adhuc vivo electus erat obſtetricante Papâ à quibusdam In Romanorum Regem Carolus IV. refragantibus aliis: Hic cùm poſtea ad Imperium mortuo Ludovico perveniſſet, quo erat animo elanguido, Romanis Papis nihil non indulſit, cum maximo Imperii damno: Quod & fecit ignavus ejus filius Wenceslaus, vini quàm Imperii curioſior; ac frater Jodocus Moraviæ Marchio, ſolâ barbâ virum ſe oſtentans. Sub his igitur Papæ liberè graſſabantur: Quibus quominus Rupertus Palatinus Imp. obicem ponere poſſet, perfidia Italorum, motus Germanici, ac vivendi finis obſtiterunt. Id igitur negotii devolutum ad ſucceſſorem Sigiſmundum. Hic, ſchiſmatum Papalium quæ orbem Chriſtianum hactenus afflixerant pertæſus, coacto Concilio Conſtantienſi Anti-Papas, Johannē XXIII. Gregor. XII. ac Benedictū XII. deponi, ac Martinū eligi curavit; indicto deinde Concilio Baſileenſi Papam Eugenium infenſum habuit, quippe qui ægrè ferret Concilio autoritatē ſupra Papam decerni ac contra ſe eligi Felicem V. unde pôſt Germanis iratus, Ludovicum Galliæ Delphinum cum numeroſo exercitu, Concilii diſſipandi ergò in Baſileenſes atque Alſatos concitavit.

38. Interea Sigiſmundo ac genero ejus Alberto vitâ functis ſucceſſerat Imperator Fridericus III. quô de Ulricus ab Hutten inquit: Hat je ein Käyſer mit dem Papſten können ůmbgehn/ſo hat es Käyſer Friderich der Dritt gekonnt/noch dennoch haben ſie ihm viel böſer Tück bewieſen/und zuvoran hat ihme Paulus der Papſt/ da er das letzt mal zu Rom geweſt/verrähterlich nachgeſtellt/deß Hinterliſt er doch entflogen iſt. Fürwahr hat auch einen Fromkeit und Fleiß deß Friedens ſichern mögen/er wäre billig von hinen unbetrübt bliebē/ ꝛc. Conſveverant hactenus Papæ turbis quas Imperatoribus ciebant addere Simoniacas artes, quibus Germaniæ opes exhaurirent, atque ita Imperio nervum gerendarum rerum inciderent. Iis ſub hoc cumprimis Cæſare adeò imcumbebant, ut Germania de remediis contra eas cogitare debuerit in Comitiis Moguntiæ Anno 1440. habitis: Quanquam parùm effectum; rapacitate Paparum indies in majus adoleſcente: in primis ſub Pio II. qui Secretarii munere antè in Friderici aulâ defungens, proventuum Germaniæ gnarus, artium Epiſcopatus emungendi ſummus extitit magiſter.

 39. Ve-

39. Venimus nunc ad Imperatorem omni laude majorem Maximilianum I. Frid:fil:Quid ipſi dum Imperio Romano præeſſet, à Papis obtigerit, non ſemel ediſſeruit iſthoc in Leonem X. dicterio notiſsimo: Nun iſt dieſer Papſt auch zu einem Böſzwicht an mir worden. Nun mag ich ſagen/ daß mir kein Papſt ſo lange ich gelebet/ je Treu oder Glauben gehalten hat/ hoffe/ ob GOtt wil/ dieſes ſoll der Letzte ſeyn. Antea glorioſiſſimo Cæſari agendum fuit cum ſpurciſſimo Alexandro VI. ac ſanguinario Julio II. ac cum hoc quidem fœdus contra Venetos pepigit, quòd cùm infidus Papa nequiter rupiſſet, Cæſar qui non parum inde damni percepit, coactus eſt Imperii arma, injuriæ ulciſcendæ ergò, in Papam expedire, & Univerſale Concilium ad coercendum ſedem Romanam meditari: Id quod teſtantur ejus literæ ad civitatem Gelnhuſam de Anno 1511. in quibus poſt illa de læſo à Papa fœdere, ſic ait: Es berichten uns jetzt unſere Räthe/ daß Papſt Julius den Venedigern mit Hertzen und Gemüth wie vor geneigt / und anhängig und durch ſeine bloſſe Handlung und verächtlich Mittel/ die ſich alle auff einen Betrug und endlich dahin lenden/ das ſo wir noch von den Venedigern innhaben / hernach auch zu verlieren/ und die uns in keinem Weg anzunehmen gebährlichen noch leidentlichen/ die Gütlichkeit gantz zerſchlagen ſey. Dabey ihr und ein jeder Verſtändiger den groſſen Unglauben und Betrug / der uns und unſern Bunds-Verwandten in ſolchem begegnet/ und zu was Verhinderung/ Schmach und Schaden das dem heiligen Reich und Teutſcher Nation reichet erkennen und ermeſſen mögen.

So iſt auch offenbar/ daß in dem Päpſtlichen Gewalt und Regiment/ ſo allen Chriſtglaubigen gut Exempel und Beyſpiel vortragen ſollt/ mercklich Unordnung gehalten/ und der überflüſſig Schatz/ ſo täglich an Geld/ den mehrer Theil auch Teutſcher Nation an den Päpſtlichen Hof kömmt/ mehr zu Triumph und andern Weltlichen Sachen/ dann zu Gottes-Dienſt oder Widerſtand der Unglaubigen gebraucht und verſchwendet wird / als ſich auß dem / daß die Türcken und andere Anfechter deß Creutzes Chriſti unſers Schöpfers und Heylmachers/ täglichs viel Chriſtlichs Land und Leut in ihren Gewalt bringen / deme zu Widerſtand / durch weyland unſere Vorfah-

Vorfahren am Reich König und Käyſer mercklich Allmoſen / und darzu viel Land und Leut / die jährlichen (ohn alle Obrigkeit) ob 500000. Ducaten gült ertragen / den Päpſten gegonnt / zugelaſſen / und gegeben / und die ſie auch ſelbſt betrieglicher Weiſe an ſich gezogen und bracht / dadurch wir und unſere Nachkommen als Römiſch König und Käyſer auff dieſen Tag nicht einen Gülden Gelds in Italien haben / leider offenbarlich erſcheinet und erfindet. Subjungit iis: So dann uns als Römiſchen König und erwähltem Römiſchen Käyſer / Vogt und Beſchirmer der Chriſtlichen Kirchen / in ſolch unordentlich Weſen zu ſehen / und die Ehr und Lob Gottes / darauf dieſelb Chriſtlich Kirche gewidembt iſt / auch Behaltung und Mehrung unſers H. Glaubens und deß Römiſchen Reichs allezeit embſiglich zu betrachten und zu fördern geziemt und zuſtehet / und die mercklich Nothdurfft erfordert / in Geiſtlichem und Weltlichen Stand löblich Ordnung und Weſen zu machen / und auffzurichten / haben wir beſchloſſen ein gemein Concilium oder Verſamblung der gantzen Chriſtenheit / ohn das nichts fruchtbarliches gehandelt werden mag zu beruffen / und zu halten. Dieweil aber Papſt Julius vielleicht auß Sorgen das mit Willen nicht zulaſſen / ſondern zu Verhinderung deſſelben guten Wercks den Venedigern für und für anhangen würde / ſo muß auß Noth das Schwerd gegen ihm und denſelben Venedigern gebraucht werden / darzu die gemeldte unſre Bundsverwandten mit aller Macht geſchickt und willig ſeyn / ꝛc.

40. Patet inde, quàm depugnaverit invictus Imperator pro Republica, cum Papis doli ac fraudis plenis. Interea ſedes Romana ut inviſam ſibi Germaniam planè degluberet, Simoniacis exactionibus operam dare perrexit: unde Status, ut averterent lethales has venæ ſectiones, publicam apud Maximilianum querelam inſtituerunt Anno 1505. petentes: Wann es Ihre Käyſerliche Majeſtät für rathſam gedünckt / ſoll Sie dem Papſt und der Heil. Kirchen zu Rom fürtragen / daß es der Teutſchen Nation ſchwerlich ja auch unleidenlich fürfallen wil / forthin ſo groſſe Expens und Beſchwerden mehr zu leiden / ſo groſſe Annaten vor die Confirmirung der Ertz-Biſchoffen und Biſchoffen zu erlegen / ſonderlich die in etlichen Biſtumen nach und nach / je länger je höher geſteigert /

in et-

in etlichen gar duplirt worden: Alſo daß in Zeit eines Menſchen Lebens auß dem einigen Ertz-Biſtum Maintz (ſo vorzeiten nur 10000. fl. gegeben) für die Confirmation eines Ertz Biſchoffs ſiebenmal fünff und zwantzig tauſend (das iſt 175000. fl.) nach Rom kommen und geliefert worden/ꝛc. Hæc & ſimilia optimum Imperatorem permoverunt, ut nihil non operæ impenderet Eccleſiæ & Reipublicæ Romano-Germanicæ a Paparum iniquitate liberandæ; ut ſequenti Diſſertatione exponemus.

41. Ex his omnibusque antedictis clariſſimum nunc evadit, quod ſuperiùs dicebamus, quieto ac fortunato Imperii Statui à Carolo M. ad Maximilianum I. per integra ſeptem ſecula nihil magis nocuiſſe quàm Papalem tyrannidem: eam ſcilicet ſuperioritatis poteſtatem, quam Papæ Imperatoribus vi ac fraude ademptam ſibi adſcripſerunt, in Eccleſias primùm, mox in Imperium ipſum, contra omnia & divina & temporalia jura. Hi fontes morborum ſunt, quibus Imperium ſuperioribus ſeculis laboravit, hodieque adhuc laborat; neque enim Papalis Curia de enormi malitiâ quicquam remiſit, quin dies noctesque Imperium affligere pergat, ſatis per emiſſarios inter Status atque exteros diſcordiæ ſeminibus; inimica Paci per glorioſiſſimos Ferdinandos primum & tertium Eccleſiæ ac Reipublicæ redonatæ; omnibus qui illimitatam Papæ poteſtatem rejiciunt, exitium parans. Tolle machinationes Papales, & Imperium brevi priſtinæ ſanitati reſtitutum habebis; nec opus erit, DEO obniti, Evangelicos inſontes ejicere aut perimere, monſtroſum Syncretiſmum procudere, aliâve impietate collapſum Regni Romano-Germanici decus reſtabilire.

De PONTIFICATU *ab* IMPERAT. CÆSARE CAPESSENDO DISSERTATIO.

I.

QUi morbum Imperii Romano-Germanici præcedenti diſſertatione expoſuimus, medendi methodum præſenti exponere tenemur, vel ordinis lege

lege, quâ hæc aliàs conjunguntur. A Cæſaribus igitur Auguſtis, qui Germaniæ curandæ laudatam operam tot annos navârunt, eam diſcentes, initio ſtatim deprehendimus, diversâ ratione illos difficile hoc negotium aggreſſos. Aliqui namque jura ſua armis adverſum Papas tutati ſunt; alij habitis Comitijs dignitatem Imperij, ſtabilitum iverunt; alij per Synodos ac Concilia ferocientes Papas compeſcere tentârunt; alij denique cum ſede Romana ſuper litigioſis depaciſci maluerunt: quod Diſſertatio antecedens manifeſtum fecit.

2. Unus Maximilianus I. Celſiſſimæ mentis Imperator, peculiarem hic inſiſtere viam cœpit. Ut enim res Eccleſiaſticas æquè ac Politicas Romani Imperii, ex voto citra diſſidium moderari poſſet, deliberatò ſecũ conſtituit, Sacram dignitatem Cæſareæ adunire, ac Pontificatum poſt Julij II. obitum ſuffragantibus Cardinalibus capeſſere: Ceu literæ eâ ſuper re ad Paulum de Lichtenſtein Anno 1511. exaratæ teſtantur: quæ extant apud Goldaſtum in Reichshandlungen pag. m. 96.

3. Sed antequam eas apponamus, agendum nobis parumper cum illis eſt, qui CL. Goldaſtum, alioſque monumentorum hujuſmodi publicorum editores, criminis falſi poſtulare ſolent: Quod præ cæteris faciunt Papicolæ quidam, Imperii gloriæ inimici; qui cùm ipſi hiſtoriis ementitis, putidis fabulis, ſuppoſititiiſque ac depravatis Scriptis communem ferè auram obnubilent, ac falſorum architecturâ univerſo mundo noti ſint, veritatis nihilominus vindices acerrimi haberi volunt, rejiciendo cuncta, quæ iis ex Antiquitate, Hiſtoriâ, Actisve publicis opponuntur, ceu falſa, ſpuria, in odium Papalis Curiæ conficta; conantes ſic affricare aliis ſcabiem, quâ ipſi ad ipſam usque infamiam laborant. Norint hi, candorem Evangelicorum notiorem eſſe, quàm ut Chriſtiano orbi fumum vendere, inque figmentis præſidium cauſæ ſuæ ponere velint, cui Veritas alma adeò benignè favet. Noverint quoque, virum clarum, qualis doctiſſimus Goldaſtus eſt, cenſeri probum ac fide dignum, donec contrarium, non nugis, ſed validis rationibus probetur. Sanè, ut nimiæ ſimplicitatis eſt, vera, ficta, omnia citra delectum recipere: ita publicis geſtarum rerum monumentis præter gravem rationem fidem demere velle, extremæ eſt impudentiæ: ac qui hiſtoricam in fidem (quâ omnia ferè humana nituntur) ita injurii exiſtunt, conſortio hominum vix digni ſunt, nedum nomine virorum eruditorum; tollentes quippe, quantum in ipſis eſt, omnem literariæ memoriæ certitudinem; quâ evaneſcente, veritatem, ſcientiam, candorem omneſque adeò hominum res corruere neceſſe eſt. Iſtis igitur criminatoribus perfrictæ frontis procul hinc eſſe juſſis, literas Cæſareas damus:

4. Käyſer Maximilians deß Erſten

Sendbrieff /

An Herrn Paulus von Liechtenſtein/ von Eroberung und Beherꝛſchung deß Papſtthumbs/ und daß ein Käyſer zugleich Papſt/ und beyder deß Käyſer- und Papſtthumbs ein einig oberſt Haupt und Regierer ſeyn mag und ſoll.

EDler/ lieber Getreuer: Vns zweiffelt nicht/ du trägſt noch in friſcher Gedächtniß unſers Anzeigs dir vor verſchiener Zeit gethan/ auß was Grund und Vrſachen wir Willen und Meinung hätten/ nach dem Papſtthumb/ wo wir anderſt darzu kommen möchten/ zu ſtellen: Darauff wir dann bißher für und für unſer Bedencken gehabt. Nun finden wir in uns ſelbſt/ auch im Grund alſo iſt/ uns nichts ehrlichers höhers oder beſſers zuſtehen/ als berührt Papſtthumb zu über kommen.

Vnd dieweil dann jetzo Papſt Julius der Jüngſt kürtzlich gar tödlich kranck worden/ und als dir durch unſern Hof und Tyroliſchen Cantzler Cyprian von Serentin angezeigt iſt/ alle Welt zu Rom gemeynt hat/ Er ſey mit Tod vergangen/ haben wir demnach in uns ſelbſt entſchloſſen/ vorberührtem unſerm Fürnehmen/ ſo viel müglich iſt nachzukommen/ und dermaſſen handlen und procedirn zu laſſen/ damit wir zu dem gedachten Papſtthumb kommen mögen. Vnd darauff jetzo dem Cardinal Adrianus/ ſo ein Zeitlang/ wie du weiſt/ herauß bey uns in Teutſchlanden geweſen/ die berührten Sachen vorgeſchlagen: Der uns dann gäntzlich darzu rathet/ und vermeynt es ſoll keinen Mangel an den Cardinälen haben/ und an ſolchen zuhören von Freuden geweinet.

Vnd nachdem du aber ſelbſt wol ermeſſen und gedencken magſt/ wo der Papſt alſo ſtürb/ als ſich gantz zu verſehen iſt/ (dann Er iſſet

wenig/

wenig/und das Er iſſet ſeynd als nur Früchte/und trincket ſo viel mehr/ daß dadurch ſein Leben kein Beſtändigkeit hat/) und ſo Er ſtürb/ ſo iſt der von Gurickh von uns gefertiget gen Rom zu poſtirn/ und hinter das Papſtthumb zuhelffen. Aber nachdem ſolchs ohne ein merckliche Summa Gelds/die wir darauff legen uns geſtehen laſſen müſſen/nicht wol beſchehen mag/ haben wir demnoch angeſchlagen/ zu Nothdurfft berührtes unſers Fürnehmen/auff Zuſagen und verſprechen den Cardinälen und etlichen andern Perſonen in dieſen Sachen zu verhelffen/biß in die dreymal hundert tauſend Ducaten zu gebrauchen/und daß ſolches alles allein durch der Fugger Panckelch daſelbſt zu Rom entlegen/gehandelt/beſtelt und zugeſagt werde und beſchehen müſte/ꝛc.

* * *

Derentwegen Wir alsdann die beſten vier Truhen mit unſern Kleynotern/ mit ſambt unſerm Lehengewant/das dann nicht dem Reiche ſondern uns dem Hauß Oeſterreich zugehörig iſt/und wir wo wir das Papſtthumb erlangen nicht mehr bedörffen. Dann wo wir uns von mehrer Ehren wegen zuvor Käyſer crönen laſſen/ wolten wir uns deß heiligen Hertzog Carl Lehengewandt/das wir mit uns zu nehmen Willens ſeyn/betragen/ꝛc.

* * *

Wir fügen dir auch zu wiſſen/daß uns unſer Secretari Johann Conlla auff heut geſchrieben hat/ bey einer eygnen Poſt/daß die Urſiner/Colonenſer/und das Populus Romanus gäntzlich beſchloſſen ſeyn und fürgenommen haben keinen Papſt der Frantzöſiſch oder Hiſpaniſch ſey/oder durch diß gemacht werde zu haben oder anzunehmen. Und ſchicken darauff ihre Bottſchafft in gehei̅m zu uns/im Schein zubegehren/daß Wir und der Frantzoß nicht kriegen ſollen/ dafür zu bitten/als die ſo Neutral ſeyn am Papſtthumb.

Geben Brixen den 16. Septembr.
Anno ꝛc. 1511.

5. Ita habet memorabilis hæc Epiſtola: cui Cl. Goldaſtus in margine geminam hanc annotationem jungit: 1. ad init. (Meminit hujus Epiſtolæ & adducit Eberhardus à Whey / &c. 2. ad verb. auch im Grund alſo iſt) quia ex Conſtit: Ludovici IV. Imp. Imperator ſuccedit Papæ vacante Eccleſiâ. Quâ de re videndus Marſilius Paduanus: Et notavit Alpharus de planctu Eccleſiæ lib. 1. Artic.68.

6. Nulli autem dubitamus, fore multos, qui valde mirentur, quid Cæſari in mentem venerit, quòd ad Pontificatum adſpiraret; non capientes, ecquânam ratione Imperator ac Pontifex convenire, unâque in ſede morari poſſint. Nos igitur, ſi ſingulare hoc Divi Maximiliani factum ratione non caruiſſe oſtendamus, ac quid exinde aliis Imperatoribus curandæ Eccleſiæ ac Reipublicæ causâ tenendum ſit exponamus, operæ pretium facturi nobis videmur.

7. Ante omnia verò in Papæ ac Pontificis nomen ac munus inquirendum fuerit. Quis Papa hodiè ac Pontifex dicatur, in vulgus notum eſt; Epiſcopus ſcil. Romanus, qui titulo ſervi ſervorum DEI, ſe Dominum Dominorum orbis venditat. Papæ Romani, nomen à paternitate gerunt; videlicet Spirituali: Poterant tamen nonnulli à naturali quoque ſic dici; ij ſcilicet quibus Meinardus Tyrolenſis Comes apud Aventinum ſtudium liberos procreandi exprobrat: Græcis πάππας & πάππα Patrem notat, πάππος verò avum; voce proculdubio ex Oriente traductâ: unde Scythas Jovem πάππαν dixiſſe Cælius auctor eſt; & παπαῖον Herodotus. Sed & Turcæ hodie adhuc patrem dicunt Baba. Nomine Patrum, dignitatis alicujus gratiâ capita, Epiſcopos, ac Doctores Eccleſiæ Veteris ac Novi Teſtamenti Ebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus, Æthiopibus, Græcis, Latinis &c. inſigniri certum eſt, uſitatumque Chriſtianis, Judæis, Muhammedanis: quod pluribus poſſet oſtendi.

8. Singularis autem cujusdam excellentiæ ergò Patriarcha Alexandrinus inde à priſcis temporibus conſvevit vocari Papa ſ. πάππας: Dicitur enim uſitato titulo: Πάππας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ κριτὴς τῆς οἰκουμένης. Papa & Patriarcha magnæ urbis Alexandriæ & judex orbis. Originem appellationis indicat Ibn Patrick Patriarcha ipſe Alexandrinus in Hiſtoria Eccleſiaſticâ Arabicè perſcripta his verbis. Quod ſi quæras, qui fit quòd Alexandrinus Patriarcha Papa vocetur i. e. avus: reſpondetur: à diebus Hananiæ, quem Marcus Evangeliſta conſtituit (ex ſutore) Alexandrinum Patriarcham (primum) ad tempus Demetrij Patriarchæ Alexandrini numero XI. in diœceſi Ægyptiacâ nullus fuit Epiſcopus: Demetrius autem Patriarcha tres Epiſcopos conſtituit, in quo quidem inſtituto nullum ſe habuit priorem. Vita functo ſucceſſit Heraclius, à quo viginti Epiſcopi fuerunt additi. Cumque

unus

nnus ex iis Eumenius nomine heterodoxè ſentiret,atque id ipſum ad Heraclii aures perveniſſet,Synodum Patriarcha convocavit ex Epiſcopis,urbem Eumenii adiit, in negotium ejus inquiſivit,& examinavit,errantemque ad viam veritatis reduxit. Interea plebs Epiſcopos Patriarcham appellare Patrem audiens, cogitavit ſecum,ſi Epiſcopos Patres nuncupemus, quo ipſo nomine vocari videmus Patriarcham ab Epiſcopis, noſtrum utique erit Patriarchæ nomen Papæ i. e. avi indere, quandoquidem eſt Pater Patrum: atque ſic à diebus Heraclii Alexandrinus Patriarcha papa i. e. avus dici conſvevit. Hæc Patricides

9. *Primi* itaque Alexandrini Patriarchæ dicti ſunt Papæ: quam appellationem pòſt Romani quoque Epiſcopi, (ut fuerunt captandorum titulorum quibus aliqua eminentia annexa videbatur, ſtudioſiſſimi,) aſſumpſerunt: unde factum, ut ambo Epiſcopi, qui dignitate pares (videatur Canon 6. Concilii Nicæni, ubi paria jura Alexandrino ac Romano decernuntur) Eccleſiis in Oriente & Occidente præeſſent [illegible] quaſi ſ. anteſignani, pari quoque Papæ titulo gauderent, præ cæteris orbis Chriſtiani Patriarchis, Antiocheno, Jeroſolymitano, Conſtantinopolitano &c. Ordinis alicujus, non dominatûs ſtatuendi gratiâ: Atque hæc de nomine Papa.

10. Pontificis appellatio,à ſublicio in Tybri Ponte facto,ut Dionyſius lib. 2. ac Varro de LL auctor eſt, deducta, Ethnicorum fuit Sacerdotum, à Numâ primùm creatorum, qui de omnibus rebus ac cauſis ad ſacra pertinentibus judicarent: è quibus qui reliquis cum ſummâ auctoritate præeſſet, Pontifex maximus dicebatur: videantur Antiqu: Rom. Roſini l.3.c.22.à Chriſtianis deinde ad Eccleſiaſtica munia translata, poſt Chriſtum ac Sacerdotem magnum Veteris Teſtamenti, communiter omnibus Epiſcopis indita fuit: Unde Leo Papa Epiſt. LV. quæ, inquit: (decreta Nicænæ Synodi) ſi ut oportet, à cunctis Pontificibus (i. e. Epiſcopis) intemerata ſerventur, per univerſas Eccleſias tranquilla erit pax & firma concordia: Conf. Epiſt. LXXIII. & LXXXVII. imò epitheto ſummus, Epiſcopis inditum legitur id nomen ab eodem Ep. LXXXVIII. ubi dicitur: Hæc omnia (de muniis Epiſcopalibus ſermo eſt) illicita ſunt Chorepiſcopis &c. quoniam,quanquam conſecrationem habeant,pontificatûs tamen apicem non habent: quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus autoritate Canonum præcipitur, ut per hoc & diſcretio graduum & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur. Vides hìc quoſcunque Epiſcopos ſummos Pontifices dici.

11. Cæterùm Ethnicorum Pontifex Maximus ἁπάντων τῶν ἱερέων ἡγεμονίαν ut Dionyſius ait, ſacerdotum omnium Principatum gerens, operabatur Religionis ac cærimoniarum diſpoſitioni, cuſtodiæ ac reformationi; publicisque ſolennitatibus,votis,obſecrationibus, dedicationibus ararum & templorum; conſtituendis inaugurandisque aliis Pontificibus ac Sacerdotibus; dijudicandis

matrimonialibus; intercalando anno, condendisque faſtis & annalibus &c. tanquam judex divinarum atque humanarum rerum ut Feſtus ait: cum ampliſſimâ poteſtate ferendi leges ſacras, imperandi perſonis ſacris, diſpenſandi de cærimoniis, cognoſcendi cauſas ſacras, ſententiamque de iis ferendi & exequendi; gaviſus inter alia ſingulari hoc privilegio, quòd neque Senatui, neque populo Romano rationem factorum reddere teneretur, nec ulli pœnæ obnoxius eſſet: quæ omnia deducta legas apud Scriptores Romanarum Antiquitatum.

12. Egregia hæc pontificis maximi jura in Cæſares Romanos cum ipſo Imperio collata ſunt à Senatu, ſacerdotum cœtu, ac populo Romano ſub Julio ſtatim Cæſare: atque inde ea dignitas Imperatoribus propria ſemper fuit non Ethnicis modò ſed ipſis etiam Chriſtianis, ut Hiſtoriæ, nummi, inſcriptiones, ac ſexcenta monumenta teſtantur. Hi verò Imperatores pontificatum maximum ſic geſſerunt, ut Religionem resque ac perſonas Sacras ordinarent ac dirigerent, functiones verò circa cultum ſacerdotales aliis pontificibus peragendas relinquerent, pauciſſimis exceptis, qui aliquando ſacra feciſſe leguntur ut Alexander Severus ac Julianus apoſtata. Moris autem erat, ut novo Imperatori ac pontifici maximo à collegio reliquorum pontificum ſtola pontificalis offerretur; ac recipere eam cum titulo majoris honoris ergò ſolebant Cæſares, ad Imp. usque Gratianum: Is deinde Religionis zelo ductus, ſolennitatem hanc in deſvetudinem duxit: Cùm enim, ut Zoſimus Hiſtor. libr. IV. ſcribit, pontifices ex more ſtolam Gratiano offerrent, averſatus eſt id quod petebant, ἀθέμιτον εἶναι χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας, illicitum Chriſtiano habitum cenſens: reddidit ergò pontificibus ſtolam. Ab eo tempore factum eſt, ut titulus etiam pontificis maximi à Cæſaribus negligeretur, forſan eò quòd gentiliſmum nimiùm ſapere viſus eſſet: manſit tamen res ipſa; & perrexerunt Imperatores ſacras res moderari, ut vitæ eorum ſcriptæ oſtendunt.

13. Interea ſpretum à Cæſaribus pontificis nomen Eccleſiæ Latinæ Epiſcopis mirè placebat, qui id quoque ſummo ſtudio ſervabant, geſtientes audire pontifices, pontifices ſummi, pontifices maximi: usque dum Papæ ſ. Epiſcopi Romani, in amorem tanti nominis rapti, circa ſeculum undecimum id ſibi ſolis raperent; antea namque commune adhuc erat omnibus Eccleſiæ præſulibus, ut inde patet, quod Witichindus monachus, qui ſeculo decimo floruit, Archiepiſcopum Moguntinum vocat pontificem maximum; obſervante Cl. Barthio Adverſ. lib. 45. c. 19. Evaſit itaque ad nomen illud Imperatorum in nomen quaſi proprium paparum. Nec verò perſtiterin titulis intolerabilis horum faſtus: ad jura quoque ipſa vetera pontificia Imperatoribus eripienda progreſſi, in Religione, cærimoniis, ſacerdotio, ſacris &c. omnia pro libitu egerunt, Cæſaribus poſthabitis: quin, poteſtatis Eccleſiaſticæ prætextu in

Rem-

Rempublicam irruere ac ſumma imis miſcere cœperunt, ut antea expoſuimus: Inter cætera privilegium Pontificum Veteris Romæ de non reddendâ ulli factorum ratione ſingulari ſtudio uſurpantes, ac cuſtodientes.

14. Revertimur nunc ad Divum Maximilianum, viſuri, num jure ille Pontificatum petierit? Omninò optimo jure Auguſtus Cæſar, quod antea Imperatorum erat, atque injuſtè ab Epiſcopis Romanis detinebatur, repetiit. Pontificia enim dignitas, ut præcedentia docent, Imperatoriæ poteſtati, ab initio Monarchiæ Romanæ ſocia fuit, & à Cæſaribus Ethnicis ac Chriſtianis geſta: ac licet Imp. Gratianus ſtolam Pontificalem, ac ſequentes Imperatores nomen Pontificis maximi fuerint aſpernati, quòd gentilia hæc Chriſtiano pectore parùm digna reputarentur, non tamen ideò auctoritatem circa ſacra abjecêre, quin potiùs rem ipſam abjecto titulo retinentes, Eccleſiæ curam ſollicitè habuerunt, donec Papali dominatu invaleſcente per vim ac fraudes juribus his exuerentur.

15. Nec verò mirum cui ſit, Imperatorem qui Princeps eſt ſecularis, Eccleſiaſticarum rerum moderamen ſibi depoſcere. Divino namque & humano jure Magiſtratui Politico, qui vices Dei in his terris agit, competit cura Religionis ac ſacrorum, inque Epiſcopos ſive Pontifices poteſtas.

16. Ut de jure Divino conſtet, evolvendæ ſacræ ſunt literæ, quæ Joſuæ, Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Joſiæ, aliorumque Principum ac Regum populi DEI circa inſtituenda ac reformanda Religionis negotia, circa Sacerdotes ac Pontifices in officio continendos aut puniendos, circa bona denique Eccleſiaſtica adminiſtranda auctoritatem ſummam oſtendunt: quod quidem adeò verum eſt, ut Alphonſus Toſtatus celeberrimus inter Pontificios ſcriptor id diſertè fateatur, dum ad 2. Reg. 12. ſic commentatur: Non erant diſtincta in V. T. jurisdictio Eccleſiaſtica & ſecularis, ſed erat una jurisdictio, & Rex præerat huic jurisdictioni: Nam ipſe habebat poteſtatem ſuper Sacerdotes, & poterat eos occidere pro crimine, ſicut quoscunque laicos, & à fortiori privare eos officiis ſuis & dignitatibus, quantumcunque illæ eſſent ſpirituales: & Deus ſubjecerat ſacerdotes popularibus. Patet Numeror. 27. ubi conſtitutus eſt Joſua in Principem ſecularem, quia non erat de ſtirpe Sacerdotali, nec Leviticâ, cùm eſſet de tribu Ephraim, Num 13 & tamen Deus dixit, quod Eleazar faceret omnia quæ juberet Joſua. à fortiori ergò Reges habuerunt poteſtatem ad intromittendum ſe ſupra ſacerdotes, cùm major fuerit poteſtas Regum quàm Joſuæ. Idem patet hoc, quia Salomo Rex erat, & eo tempore quo fuit bonus, privavit Abiathar ſummum Sacerdotem dignitate ſacerdotali, deportando eum vel tradendo in exilium. à potiori ergò poterat diſponere Rex de aliis adminiſtrationibus Sacerdotalibus, quando de maxima eorum poterat diſponere, privando aliquem. Imò non ſolum poterat Salomon privare ſum-

mum Sacerdotem dignitate ſacerdotali, ſed etiam poterat eum occidere. Relegare eſt pœna criminalis, Salomo tamen relegavit Abiathar, ut eſſet in Anathot, & non exiret inde omnibus diebus vitæ ſuæ. Habebat ſibi Salomo juriſdictionem in civilibus & criminalibus ſuper Sacerdotes. Hæc Toſtatus.

17. De jure humano Regibus Principibusque poteſtatem circa ſacra, quin & Pontificatum maximum competere, evincunt Conſtituta publica gentium, quæ ejusmodi ſunt, ut mos antiquitùs fuerit regibus atque Imperatoribus Pontificatum gerere: Ceu id teſtatur Iſidorus ap. Gratian: diſt. 21. cap. Cleros & Clericos. dum ait: Pontifex Princeps Sacerdotum eſt, quaſi via ſequentium: Ipſe & ſummus Sacerdos, ipſe & Pontifex Maximus nuncupatur. Ipſe enim efficit Sacerdotes atque Levitas: ipſe omnes ordines Eccleſiaſticos diſponit, ipſe quid unusquisque facere debeat oſtendit. Antea autem, qui reges erant, & Pontifices erant: Nam majorum hæc erat conſuetudo, ut rex eſſet etiam Sacerdos & Pontifex: Unde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur. Verba hæc ex ipſo jure Canonico Paparum deprompta, juribus Imperatorum teſtimonium perhibent. Conſentit jus Civile, quod plures Impp. circa Religionem Eccleſiaſticaque negotia Conſtitutiones continet in Codice ac Novellis: Quin imò Juſtinianus Imp. expreſsè dicit: non minorem ipſi curam eſſe horum quæ ſanctiſſimis Eccleſiis proſunt, quàm ipſius animæ ſ. vitæ nov. 3. Huc faciunt quoque Conſtitutiones Imperii Romano-Germanici, ac Capitulationes Cæſareæ, quibus cura Eccleſiæ Imperatoribus committitur als Advocaten/ Obriſten Vögten/ und Schirmherrn der Kirchen und Chriſtenheit/ ꝛc. unde Maximilianus Imper. literis ad Civit. Gelnhuſ. ſupra citat: So dann uns als Römiſchem König und erwehltem Römiſchen Käyſer/ Vogt und Beſchirmer der Chriſtlichen Kirchen in ſölch unordentlich Weſen (de Paparum actis loquitur) zu ſehen und die Ehr und Lob GOttes/ darauff dieſelbe Chriſtliche Kirche gewidembt iſt/ auch Behaltung und Mehrung unſers heiligen Glaubens/ ꝛc. allezeit embſiglich zu betrachten und zu fördern geziemet und zuſtehet/ ꝛc. Ac ut omnia paucis eloquamur, ipſa Praxis Imperatorum Chriſtianorum à Conſtantino ac Carolo M. ſed & aliorum Regum ac Principum de auctoritate Magiſtratus circa ſacra adeò teſtantur, ut nemo citra veritatis contumeliam de eo dubitare poſſit.

18. Idque agnoverunt, multâque laude extulerunt ipſi antiquiores Papæ. Legantur modò Epiſtolæ Leonis magni, & ſexcenta ejus rei documenta occurrent. Pauca è multis dabimus: ad Theodoſium Imp. is ſcribens Epiſt. VII. ait: Quantum præſidii Dominus Eccleſiæ ſuæ in fide Veſtræ clementiæ præparârit,

præparârit, his etiam literis, quas ad me miſiſti, oſtenditur, ut vobis non ſolùm regimen, ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudeamus: Siquidem præter Imperiales ac publicas curas, piiſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ religionis habetis, ne ſcil. in populo DEI aut ſchiſmata, aut hæreſes, aut ulla ſcandala convaleſcant: quia tunc eſt optimus regni veſtri ſtatus, quando ſempiternæ & incommutabili Trinitati unius Deitatis confeſſione ſervitur, &c. ad Marrianum Aug. Ep. LVII. quàm excellenti pietate, & quàm glorioſo clementiæ veſtræ ſtudio in integrum nuper fides Chriſtiana revocata ſit, totus mundus agnoſcit, & ſaluti ſuæ ſingulare præſidium per vos à Domino eſſe reparatum. At ſi quid adverſum tanti operis conſummationem de contrario Spiritu ſentitur oboriri, neceſſe eſt, ut ad veſtræ revocetur pietatis auxilium, quod ad cuſtodiam Catholicæ veritatis divina providentia præparavit, ut quum poteſtatis veſtræ ſit, ſcandala etiam in longinquum nata reſecare, multò magis ea, quæ ſub veſtris audent oculis ſurgere, non ſinatis accreſcere, &c.

Ad Leonem Imp. ep. LXXV. Cùm Clementiam Tuam Dominus tantâ ſacramenti ſui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem Tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quæ benè ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem his quæ ſunt turbata reſtituas, depellendo ſcilicet pervaſores juris alieni, & antiquæ fidei ſedem Alexandrinæ Eccleſiæ reformando, ut correctionibus Tuis Dei iracundia mitigata, regiæ civitati non retribuat quæ antea admiſſa ſunt, ſed remittat &c.

Hactenus Leonem Papam audivimus Imperatorum circa Religionem ac reformationem corruptæ Eccleſiæ, ſtudia deprædicantem. Ex quibus jam colligitur, Divum Maximilianum contra jus ac fas neutiquam egiſſe, quod Pontificatum ſuſcipere inſtituerit.

19. Porrò, Pontificatus, ut à Papis hactenus geſtus eſt, tria complectitur: Primum poteſtatem Eccleſiaſticam internam, actusque miniſteriales ac ſacerdotales Romanæ ſuperſtitionis ſpectat, v. g. miſſificationem. Secundum concernit externam diſpoſitionem Religionis ac Sacrorum, convocationem Conciliorum, inſtitutionem Epiſcoporum, adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ &c. Tertium reſpicit Primatum illum poteſtatis in omnes Eccleſias, Vicariatum Chriſti, Infallibilitatem, ſcrinium pectoris, Deitatem terreſtrem, jus ſuperioritatis atque Imperium in Imperatores, Reges, Principes, regna & regiones &c. unde fortaſſe quis quærat, num Maximilianus omnia hæc petierit, ac Anti-Chriſtiano ſic faſtu turgens in templo Dei ſedere voluerit? Sanè magna ejus Pietas ac nota virtus facit, ut cenſeamus, ipſum (quicquid etiam de primo factum fuiſſet, quod forſan per Epiſcopum ſive Papam in id ſpecialiter inſtitutum peregiſſet more veterum Imperatorum) ad tertium nunquam

fuiſſe

fuiſſe proceſſurum; ſed intra ſecundi ambitum ſe continendo, laudatum Impp. Chriſtianorum Pontificatum geſturum.

20. Certè, ut de tertio hoc nonnihil dicamus, mens pietatem Chriſtianam profeſſa, tota cohorreſcat neceſſe eſt, ad obtutum tam deformis monſtri quò tetrius orcus vix habet. Recogita quæſo tecum ipſe, num poſt Diaboli elationem, quæ eum angelosque ſuos de cœlo præcipites dedit, enormior fando audita ſit ſuperbia, Papali hâc, quâ ſe ſuper omnia effert Epiſcopus Romanus; poteſtatem omnem, & ſecularem Imperatorum, Regum ac Principum, & Eccleſiaſticam Patriarcharum, Epiſcoporum ac Sacerdotum pedibus ſuis ſubjiciens. Digna quæ hîc legantur, ſunt verba Chriſtianiſſimi, uti vocari ſolet, Doctoris Joannis Gerſonis, quibus dogmata tertii Papalis gloriæ membri deſcribit ac ridet Oper. part. 1. Tract. de poteſt: Eccleſ. conſid. XII. Conſurgit blandiens & ſubdola adulatio, & ad aures Eccleſiaſticorum, præcipue ſummi Pontificis inſuſurrans, ô quanta eſt, quanta ſublimitas Eccleſiaſticæ Tuæ poteſtatis. O ſacer clere quàm nihil eſt ſecularis auctoritas Tuæ comparata. Quoniam ſicut Chriſto collata eſt omnis poteſtas in cœlo & terra, ſic eam Chriſtus omnem Petro ſuisque ſucceſſoribus dereliquit. Unde & nec Conſtantinus quicquam Sylveſtro Papæ contulit, quod non eſſet prius ſuum, ſed reddidit injuſtè detentum. Porrò ſicut non eſt poteſtas niſi à Deo, ſic nec aliqua temporalis vel eccleſiaſtica, imperialis vel regalis niſi à Papâ, in cujus femore ſcripſit Chriſtus, Rex Regum & Dominus dominantium: de cujus poteſtate diſputare inſtar ſacrilegij eſt, cui neque quisquam dicere poteſt, cur ita facis? Si etiam temporalia omnia, ſi eccleſiaſtica bona ac dominia mutaverit, diripuerit, diſtraxerit. Mentior ſi non inveniuntur hæc ſcripta ab illis etiam qui ſapientes ſunt in oculis ſuis: ſi præterea non inveniuntur fuiſſe per aliquos ſummos Pontifices hæc credita. Notum eſt illud Satyrici, nihil eſt, quod credere de ſe non poſſit cum laudatur diis æqua poteſtas. Et illud Comici de adulatore: hic profectò ex ſtultis inſanos facit. Pergit Gerſon: Sentiens autem adulatio quandoque nimis ſe cognoſci, ſtudet quaſi modeſtiori ſermone depreſſius uti, ut credibilior appareat. Concedit ſeculari poteſtati poſſeſſiones & jurisdictiones proprias, quas tollere nequit pro libitu Papa: nihilominus tradit, quod ſummus Pontifex ſupremus eſt Monarcha, nedum in Spiritualibus, ſed temporalibus, habens poteſtatem hanc immediatè à Chriſto, ſed alii Reges omnes ac Principes ſuam recipiunt dominationem ab eo, & ſolùm mediatè à DEO. Alioquin ut monſtruoſus eſſet hic mundus, ſi haberet tot capita, quæ non ſub uno regerentur, rediretque Manichæi deliramentum, ponentis duo principia, unum bonorum & Spiritualium, alterum malorum & temporalium. Unde & ſicut corpus eſt propter animam, & ab anima vivit & regitur, ſic poteſtas ſecularis propter ſpiritualem, à qua ſuum recipit

eſſe

eſſe legitimum. Quam autoritatem Spiritualem qui negant vel impugnant, ſint intus ſint foris Eccleſiam, poſſunt gladio vel Spirituali excommunicationis ſicut Catholici, vel debellationis ſicut infideles feriri, & eorum dominia vel bona in alios transferri. Hanc æſtimationem habere viſus eſt Bonifacius VIII. in quadam Decretali. Putatur ab aliis depoſitio unius Regis Franciæ per Papam Zachariam hîc eſſe fundata, tanquam Papa ſit qui transferre poſſit reges & regna &c. Addit porrò: Peccatum circa hoc vult adulatio longè à Papa ſic facere, ut eum Simoniam poſſe neget committere, quum ſua ſunt omnia Eccleſiaſtica bona. Concedit inſuper, quòd ſuper jus eſt potens ab altero jus ſuum tollere, & quòd nec ab eo appellari, neque eum judicialiter evocari, nec obedientiam ab eo ſubtrahi, præſertim extra caſum hæreſis ſit aliquatenus poſſibile. Hic Solus Symbolum fidei condere, hic ſolus cauſas ejusdem fidei & majores cæteras tractare poteſt, ſolus definitiones, regulas, leges & Canones condit. Alioquin quicquid per alios diffinitur, decernitur, conditur, ſtatuitur, irritum eſt inane, nec aliquid ex eis quæ ſtatuerit, poteſt niſi per ipſum quomodolibet caſſari vel infringi. Fallor ſi non ante celebrationem hujus Sacroſanctæ Conſtantienſis Synodi ſic occupaverat mentes plurimorum, literalium magis quàm literatorum iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæreticâ pravitate vel notatus vel damnatus &c. tam radicatum & ut cancer ſerpens tam medullitus imbibitum fuit hoc priſcæ adulationis virus letiferum. Hucuſque Joannes Gerſon

21. Æſtimet nunc ex iis quivis immodeſtiam Papalem, feratque judicium, num ſimilis ei in orbe exiſtat. Eidem profectò nihil deeſt, niſi ut Papa pro Deo ipſo habeatur ac colatur. Ac quis dubitet, Papas Deitatem ambiiſſe? Quum paſſi fuerint in Corpore Juris ſui Canonici gloſſato de ſe legi, ad Extravag. cap. Cum inter. de verb. ſign. Credere Dominum Deum noſtrum Papam ſic non potuiſſe ſtatuere prout ſtatuit, hæreticum cenſeretur &c. ut alia taceam. Jure ergò meritoque Imp. Fridericus II. faſtum hunc Papalem tanquam AntiChriſtianum deteſtatus, ad Imperii Ordines, ut recenſet Aventinus lib. VII. ſcripſit: Sie (die Päpſte) trachten nach der Herrlichkeit und Gottheit/ daß ſie von männiglich nicht anders/ja mehr als Gott gefürchtet werden/dann es ſtecken viel Anti-Chriſti in den Römiſchen. Item: Es iſt der Chriſtlichen Religion hoch nachtheilig/daß der Menſch/ ſo man den Papſt nennet/nach dem er mehr dann zu viel reich worden/nach dem Gebrauch der ärgſten Tyrannen dafür halte/ihm ſey alles recht/daß Er niemand ſeines Thuns halben Rechenſchafft geben wolle/gleich als wann Er Gott wäre/ ſich deſſen anmaſſe was allein Gott dem HErrn zuſtehe/daß er nicht irren oder lügen könne/rc. Confer quæ Defenſores deß Sächſiſchen Augapffels/hanc in rem addunt. n. VII. &c.

22. Quoniam igitur ex his conſtat, tertium Papalis gloriæ membrum à nobis ſuperius commemoratum AntiChriſtianiſmum ſpirare, ac ceu impium ac nefarium, ipſis etiam Romanis Imperatoribus abominationi fuiſſe, dubitari non debet, Divum Maximilianum ad Pontificatum profectum ab eodem ſibi (quo fuit pio animo) temperaturum fuiſſe. Quod & confirmant omnia ejus conſilia ac facta, quibus id agit ut Eccleſiam & Rempublicam à vinculis iniquitatis hujus Papalis liberet. Videantur inter alia Gravamina Germanicæ Nationis cum remedijs de anno 1505. & ad ea edictum Cæſareum apud Goldaſtum parte 1. der Reichsſatzungen p. 215. &c.

23. Ergò jam glorioſiſſimus Imperator Pontificatum ex Cardinalium electione quærens, illud maximè intendit, ut auctoritatis Eccleſiaſticæ citra ſcandalum Eccleſiæ compos factus, dehinc Religioni, cærimonijs, Epiſcopatibus, bonis ac Perſonis ſacris, atque adeò univerſæ rei Eccleſiaſticæ proſpicere poſſet demedelâ adverſus multiplices morbos, quibus cum ea graviſſimè diu conflictata eſt. Potuiſſet hoc ipſum exequi, electione Cardinalium inſuper habita, tanquam Imperator, cui jura Pontificatus ac ſacrorũ ratione ſuſcepti Imperij competebant: At habenda fuit ratio eorum temporum, quibus plerique & principum & ſubditorum animi, cæco Religionis zelo, ac Paparum dictatibus adeò irretiti erant, ut piaculum committi dicturi fuiſſent, ſi Cæſar invito clero ac refragantibus Cardinalibus, eccleſiæ habenas capeſſere voluiſſet: ac ſi deinde alius contra Imperatorem à Cardinalium collegio creatus eſſet Pontifex, expectanda Cæſari fuerat excomunicatio, trahens ſecũ funeſtos motus. Hæc igitur prævidens prudentiſimus Imperator, amoliri ac præcavere voluit, expetitis Cardinalium ſuffragijs: Conſilio non malo ſed quod effectu caruit; calliditate Romani Cleri Cæſareos conatus ſupplantante, inque ejus locum eligente Leonem X.

24. Quæ Maximilianus circa Pontificatum Eccleſiæ ac Reipublicæ causâ egit, omnia fuerunt ſubvertendæ mox Paparum in Germaniâ tyrannidis. Non multo namque poſt excitavit DEUS præconem Evangelij D. Martinum Lutherum, qui quod tot Principes, tot Imperatores, tot exercitus, tot Comitia, tot Synodi nequiverunt, ore ac ſcriptis executus eſt: dum larvam Papatui detrahens, abominanda dogmata in lucem proferret ac redargueret, quibus Chriſtiana Religio à Papis ad interitum usque corrupta eſt; diſruptis, uno quaſi ictu, iniquitatis vinculis, quæ pavidis Conſcientiis, fidei Catholicæ ſpecie deceptis injecerant Romani tyranni ac lictores. Ex eo tempore fulmina Papæ bruta haberi, omnipotentia Pontificia deridiculo eſſe, ac deceptoriæ Romanæ Curiæ artes cum ludibrio explodi cœperuut. Ita Germania, atque adjacentes ei nonnullæ regiones, maximam partem à jugo Papali liberatæ; ac Magiſtratui Politico jus Eccleſiam ac Religionem ordinandi reſtitutum.

25. Miracu-

25. Miraculoſâ iſthâc Eccleſiæ reformatione DEUS inter alia viam ſtravit Imperatoribus ad veterem Pontificatum, adque priſtinam poteſtatem in Epiſcopos & res Eccleſiaſticas recuperandum; flocci factis Paparum excomunicationibus, quæ priſcis Imperatoribus ſemper obſtaculo fuerant, quo minus ad jura ea felices pertingere poſſent: ac Evangelici quidem, juribus Magiſtratus, non iniqui, initiò ſtatim, cùm divortium cum Romanâ ſede facerent, expetierunt Concilium generale, auctoritate ac ſub præſidio Imperatoris in Germaniâ habendum, in quo de abuſibus ac corruptelis, quæ vel ipſis Papis fatentibus in Eccleſiam invectæ, deque Romanæ Curiæ vitijs liberè diſquiri ac judicari poſſet: Et verò Divi Impp. Maximilianus I. Carolus V. ac Ferdinandus I. prono in id affectu ferebantur: Sed obſtitit tenus hâc omnibus viribus ſedes Papalis; quippe quæ voces has Frey/Chriſtlich/Deutſch/ non mitius horret, quam tres ex orco furias, benè intelligens, dominatui ſuo ab ejusmodi Concilio excidium imminere.

26. Laudandus interim ad omnem poſteritatem eſt excelſus Imp. Ferdinandi I. animus, qui poſt renatum Evangelium, ringente ac fremente Papâ, Pacem Religionis Auguſtæ Vindelicorum condidit anno 1555. auctoritate ſic Imperatoriâ ac Pontificiâ circa religionem uſus: Cujus veſtigijs cum pari laude inſiſtentes cęteri Cæſares, auream hanc Pacem uſque adhuc ſartam tectam conſervârunt, in commodum univerſæ Eccleſiæ ac Reipublicæ. Equidem nos non latent technæ, quibus per integrum nunc ſeculum Papalis Curia Pacem hanc ſubvertere atque ita dominatum ſuum in Germania reſtabilire ſategit, pręſertim ope Jeſuitarum, quos ſedi ſuæ ſuſtinendæ Papa tibicines adlegit: quorum quoq; molimina adverſus Pacificationem Religioſam in propatulo ſunt, ac juſſu Evangelicorum detecta in Defenſione Auguſtanæ Confeſſionis Saxonicâ: ut ſic auctoritati Imperatoriæ circa ſacra mille inſidiæ ſtructæ videantur.

27. Optandum verò foret, ut ſacratiſſimi Cæſares re benè perſpectâ, poteſtatem ſuam magis communire, ac ſede Papali res ſuas ſibi habere juſsâ, reliqua etiam Pontific. munia, quæ in ordinandâ Eccleſ. in repurgandâ Religione, in indicendis concilijs, in inſtituendis Epiſc. &c. conſiſtunt, in ſe recipere ſuſtinerent, quo res Rom. German. ad priſtinũ tandem decus redirent. Certe intereſt univerſi Imperij, poteſtatem ſuperioritatis Romano Papæ toties abjudicatam Cæſari aliquando reſtitui; ut norit Papa, ſe Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, cum terris ſuis Imperatori Imperioque Romano ſubeſſe eidemque factorum ſuorum rationem reddere, & ab eo inſtitui debere: ac licet fortaſſe Papa i.e. Patriarcha vel primus Epiſcopus in Eccleſia Latinâ ſ. Occidentali à Cæſare renuncietur, nihilominus Pontificatum maximum Cæſaris eſſe, ipſique ſupremam poteſtatem in Epiſcopos ac Papam competere.

28. Ac quoniam Religioſa Pacificatio ſpem facit futuri aliquando Concilij

cilij alicujus generalis, è re & Imperij & Eccleſiæ foret, ut Cæſareâ auctoritate tale in Germaniâ cum Imperij conſenſu convocetur. Præſtiterit ſe hoc ipſo Imperator verum Pontificem maximum; preſſeritq; laudata veſtigia Divorum Cæſarum Romanorum, qui olim Concilijs habendis piam operam dederunt. Nec verò eum à decoro hoc propoſito abſterreant Papæ Papicolarumque iræ, quas adeò vanas reddidit Evangelium, ut vix privatus hodiè excommunicatorium anathema reformidet. Quin DEO confiſus, jure ſuo utatur, nemini ſic facturus injuriam, profuturus potius & Eccleſiæ & Reipublicæ, quibus caput actutor à DEO datus eſt.

29. Electionem in Pontificem non eſt quod Imperator à Cardinalibus expectet. Ut Capitula ſuos Epiſcopos ſic eligant ij Epiſcopum ac Papam Romanum, conſentiente ac confirmante Imperatore; ut olim moris erat, priusquam Hildebrandi inſtituto ad ſolos Cardinales devolveretur electio: Cæſare ac populo Romano excluſis: à maximo verò Pontificatu abſtineant Cardinales; ejus ſiquidem collatio in eorum eſt manu à quibus Cæſari per electionem obtingit Imperium, cui ea poteſtas annexa eſt.

30. Atque hæc quidem occaſione literarum Cæſaris Maximiliani de Pontificatu Imperatorum Romanorum dicta ſunto, hâc fini ut inde compareat remedium potiſſimis Germaniæ morbis accommodum, quo debilitatæ ejus vires reſtitui, & à ſedis Papalis intemperie, quæ Imperium tantum non enecavit, certe enervavit, impoſterum tutæ præſtari queant. Quæ omnia animo, gloriæ Imperatoris Imperijque, atque incremento & Eccleſiæ & Reipublicæ, ut æquum eſt, faventiſſimo ſcripſimus; nemini præter rem iniqui, ſuum cuique reddentes, omnium ſalutem ſerijs votis exoptantes.

FINIS.

MC

Digitized by